A tus tandem illius importuna improbitate: Illum, inquit, qui tui sit quàm dissimillimus. *Plut. in Lacon.*

Multa incidunt, quæ indecisa, & intransacta relinqui à judicibus, satius atque utilius est, quàm judicio terminari. Hujusmodi est illa coram Licinio Fimbria viro consulari à M. Luctatio equite Romano sanè honesto; Ni vir bonus esset, facta sponsio cum adversario. Sapienter enim judex pronunciavit, Se illam rem nunquam judicaturum, ne aut spoliaret fama probatum hominem, si contra judicasset, aut statuisse videretur, virum bonum aliquem esse, cùm ea res innumerabilibus officiis, & laudibus contineretur. *P. Ærodius ex Cic. l. 3. Officiorum: Val. Max. lib. 7. c. 2.*

Religione.

M. Varro de Romuli natalibus agens, & de vulgato illo Rheæ Sylviæ cum Marte concubitu, quum neque factum affirmaret, neque de suæ urbis origine malè opinari videri vellet, operæ pretium id esse, civitatibusque conducibile testatus est, si etiam falsum sit, suam originem ad deos referre, ut eo modo humanus animus, velut divinæ stirpis fiducia, res magnas audaciùs aggrederetur, fortiùsque gereret, ipsaque securitate transigeret feliciùs. *Sab. lib. 2. Enn. 2.*

Gallio Achajæ proconsul, Paulum à Judæis accusatum damnare noluit, quòd legis, & religionis ipsorum judex esse non posset, cùm ea non intelligeret. *Act. 18.*

Cl. Lysias, tribunus militum Jerosolymis, Paulum à Judæis de lege & religione accusatum condemnare noluit, sed eum ad Felicem prætorem Cæsaream misit. Cui cùm Festus successisset, is Romam ad Cæsarem misit. *Act. 23. & seq.*

Ludovicus Pius Imp. cùm quadraginta diebus ferro, ac flamma Britanniam vastasset, acceptis obsidibus Rhotomagum petit. Ubi Michaelis Constantinopolitani Imp. oratores audiit, eum consulentes, Quid de sacris imaginibus faciendum censeret, abolendæne, an restituendæ viderentur? Hos Imp. ad Pontificem rejecit, cujus maximè interesset, ea de re decernere. *Platina.*

Romani in constituendis religionibus, diisque colendis, cautissimi fuere. Itaque cum moveri terram senserant, ferias ejus rei causa edicto imperabant. Dei tamen nomen, ita uti solet, cui servari ferias oporteret, non edicebant, ne alium pro
C alio nominando, falsa religione populum alligarent. Eas ferias si quis pollusisset, hostiam immolabat. Idque ita ex decretis pontificum observatum M. Varro dicit, quoniam & qua vi, & per quem deorum dearumve terra tremeret, incertum esset. *Gellius lib. 2. c. 28. Noct. Att.*

Possessionibus.

Gregorius Neocæsariensis Episcopus, cùm de piscoso lacu, qui admodùm fructuosus erat, duo inter se contendentes fratres digladiarentur, multique jam in ea contentione homines essent interempti, fratrum ipsorum voluntate judex creatus, ad lacum, de quo erat contentio, cùm ambæ partes adessent, profectus est, & extensis in orantis morem ad Deum manibus, rogavit, ut eum lacum exsiccaret, qui inter fratres tantarum contentionum materiam præberet. Nondum autem hujus precationis verba ex voto protulerat, cum utraque inpiciente parte, exsiccatus lacus, & aquæ & liti simul finem imposuit. *Fulgos. & Egnat. l. 8. c. 2.*

Hæreditate.

D Cùm quidam de turba Christum rogaret, ut litem inter se & fratrem obortam hæreditatis causa dirimeret: Quis me constituit judicem, aut divisorem super vos? respondit. Non quòd non posset, sed quòd hoc officii genere uti nollet. *Lucæ 12.*

Absolutione, Condemnatione.

Ptolemæus, cùm ad talos sederet, & alea luderet, assistens quidam, condemnatorum ipsi nomina recitabat, & crimina in eos collata referebat, ut ille, quinam mortis supplicium commeruissent, decerneret. Berenices verò uxor ejus accepto libello è pueri manibus, non permisit, ut ad finem usque legeretur, dicens, non sic obiter advertendum esse, cùm de hominis salute disceptatur; sed diligenter cogitandum, & relinquenda ludicra. Non enim similem esse casum talorum, & corporum. His auditis, delectatum Ptolemæum ferunt, neque posteà unquam inter ludendum capitales causas audivisse. *Ælian. de Var. hist. lib. 14.*

Apud M. Pompilium Lænatem prætorem, quædam, quòd matrem percussam fuste interemerat, causam dixit, de qua neutram in partem latæ sententiæ sunt, quia abundè constabat, eandem veneno necatorum liberorum dolore commotam, quos avia filiæ insensa sustulerat, parricidium ultam parricidio esse; quorum alterum ultione, alterum absolutione dignum judicatum est. *Val. Max. l. 8. c. 1.* E

Materfamilias Smyrnæ virum, & filium interfecit, cùm ab iis optimæ indolis juvenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occilum esse comperisset. P. vel Cn. Dolabella Proconsul in Asia quia ut M. Pompilius Lænas, neque liberare duabus cædibus contaminatam, neque punire justo dolore impulsam facilè posset, hæsitans, quid inter ultionem, & scelus statui opporteret, rem ad se delatam rejecit Athenas ad Areopagi cognitionem; quorum Senatorum æquitas, Deorum quoque jurgia dicitur terminasse. Sed Areopagitæ quoque non minùs sapienter, quàm Dolabella mansuetè, inspecta causa, & accusatorem & ream centum annos vadati sunt, hac mora, & damnandi atque absolvendi dilatione, ablegantes à se, & sequentibus judicibus, extincta morte accusatione, adimentes obscurum, ac difficile judicium. *P. Ærod. ex Val. Max. l. 8. cap. 1. Aulo Gellio l. 12. cap. 7. Ammiano Marcellino lib. 29.*

A. Gellius Romæ à prætoribus in judicem lectus, de causis F privatis in ambiguo casu pronunciare noluit. Petebat quidam spectatæ fidei homo pecuniam datam numeratamque, verùm neque tabulas, neque testes producere poterat. Alter, à quo petebatur, vir erat notæ improbitatis, qui debitum negabat, & apud judicem privatum de pecunia agi dicebat, non apud censorem de moribus. Hic cùm nulla probatione allata cæteri absolvendum eum, à quo petebatur, censerent: Gellius Phavorinum philosophum amicum suum consuluit. Is ex M. Catonis oratione ita moribus majorum observatum respondit, ut si quid inter duos actum est, neque tabulis, neque testibus planum fieri possit, tum apud judicem, qui ea de re cognosceret, uter ex iis vir melior esset, quæreretur. Et si pares essent, tum illi, unde petitur, crederetur, ac secundùm eum judicaretur. Gellius quamvis ei consilio acquiesceret, tamen ne de moribus, non de probationibus rei gestæ condemnasse videretur, juravit sibi non liquere, atque ita judicatu illo solutus est. Recenset ipsemet *lib. 14. Noct. Att. cap. 2.*

Personis. Nempe De

Sacris hominibus, Pontificibus, Episcopis. G

Constantius Magnus in Chalcedonensi concilio libellos oblatos de mutuis Episcoporum accusationibus legere noluit, sed intactum se Deo eorum judicium reservare velle, respondit. Idem si quid Episcopi in synodis pium, & utile constituissent, id ratum habuit, & infringi à præsidibus provinciarum noluit, dicens, Sacerdotes Dei quovis judice probatiores esse. *Eusebius.*

Sedit Carolus M. Gallorum rex in Barjonæ basilica, Leonis III. Pp. causam cogniturus, quem Campisus, & Paschalis primicerius pulsatum in vincula conjecerant. Congessere duo illi multa in Pontificem crimina, ad levandam sui sceleris invidiam. Placuit, Populum, qui circumfusus stabat, rogare, quid de Pontifice statuendum censeret? Reclamatum est, non esse privati cujusquam, de eo, qui sacram teneret sedem, judicare, traditumque morem à majoribus, ut Pontifex à nullo præterquam à seipso judicaretur. Qua voce rex sui officii admonitus, causam ampliavit, ac mox damnavit capite accusatores. Sed Pontificis rogatu capitalis illis remissa est pœna, amboque H in Galliam relegati. *Sabell. lib. 10. c. 4. Æmil.*

Ducibus bellicis.

Epaminondas Thebanorum dux interrogatus, Quem arbitraretur ducem præstantissimum, seipsumne, an Chabriam, an Iphicratem? Id, inquit, judicatu perdifficile est, donec vivimus. *Plut. in apopht.*

Liberis aliorum.

Hercules judicium contra Idæam reginam, Phinei regis Thraciæ uxorem fecundam, quæ falsis accusationibus duos privignos, quasi sibi vim intulissent, eò redegerat, ut vivi à patre jussi fuerint defodi, ab Argonautis latum suspendit, & patri Scythæ, Scythiæ regi, delegavit. Ille eam morte condemnavit. *Diod. lib. 4.*

CUR. SUSPENDERE JUDICIUM.

Causa.

Imperitiæ, Ignorantiæ, quia non liquet.

☞ *Exempla quadam præcedentia hoc facere possunt.*

Con-

A Constantius Augustus Amphilochium tribunum de insidiis Imperatori factis accusatum, cùm res non constaret, divino damnandum judicio reliquit. Nec multò post ruina ille in conspectu Imperatoris obrutus est.

Religiosæ pietatis.

Moses Abbas in deserto Scythi, cùm accesseretur, ut sententiam diceret in fratrem qui peccaverat, venit saccum arena plenum in tergo bajulans; & rogatus, quid illud esset? Peccata sua esse dixit, quæ vix ferre prævaleret, nedum alta judicare posset. Quod præpositi monasterii audientes, fratri pœnitenti veniam indulgere, quàm pœnam infligere maluerunt, dum considerant, ne se quidem sine peccato esse. *Marulus lib. 5. cap. 2.*

Ejusdem loci presbyter Pastor, monacho, qui se de cœnobio discessurum dixerat, quòd se cum fratre manere, de quo malè audisset, pigeret: Ne facilè malum crediderís, inquit, quod audisti. Cumque id sibi à viro fideli relatum asseveraret, res-
B pondit: Si fidelis esset, non tibi dixisset. Postremò proposuit ei trabem, & festucam ex Euangelio, ut semper aliena peccata festucam putaret, sua trabem, se priùs condemnans, quàm alios judicans. Quo tandem consilio ipse usus, ibidem habitavit, unde recedere decreverat, malè de altero obloquentibus credere destitit, malè agentes sibi præferre cœpit, & si quis etiam manifestò deliqueret, non jam ei judicandi occasionem, sed magis humiliandi præbebat. *Ibid.*

D. Joannes Episcopus, illos etiam, qui publicè peccaverant, absentes carpi prohibuit: Fieri enim posse, ut peccatum pœnitendo diluerint, & aliquium esse id ab homine petulanter exprobrari, quod à Deo clementer esset condonatum: Itaque domesticos suos graviter increpuit, cùm quendam virginis raptorem morte dignum dixissent. Et qui scitis, inquit, si ille jam peccare destitit, cùm vos fortasse non cessetis? *Ibidem.*

B. Franciscus, cùm pauperculo quodam sibi obviam facto nuditatem ejus dolens identidem ingemisceret, & frater, quo cum unà iter agebat, dixisset: Pater, etsi ille rebus pauper est, fortasse rerum concupiscentia dives est: continuò ipsum tuni-
C cam suam exuere, & pauperem operire jussit, ut quem lingua læserat, ei beneficio satisfaceret. *Ibidem.*

Accusationis deficientis.

P. Scipio Africanus posterior, centurias recognoscens equitum, postquam C. Licinium Sacerdotem citatum processisse animadvertit, dixit, Illum se scire verbis conceptis pejerasse; proinde si quis eum accusare vellet, usurum testimonio suo. Sed nullo ad id negotium accedente: Traduc equum, inquit, Sacerdos, ac lucrifac censoriam notam, ne ego in tua persona, & accusatoris, & testis, & censoris, & judicis partes egisse videar. *Val. l. 4. cap. 1.*

Veneræionis.

☞ *Vide Præcedentia de Sacris hominibus.*

JUDICIUM SUSPENDERE. ΕΠΟΧΗ. DE

D Incertis Judicare Nolle.

THEORICA SUSPENSIO judicii.

Cùm quandam ex suis comœdiis Antiphanes Comicus Alexandro M. legeret, isque videretur fabulam planè non percipere: Oportet, inquit, ò rex sæpiùs ex symbolis cœnasse eum, qui hæc sit percepturus, ac sæpiùs ab amica plagas, & accepisse, & dedisse. *Athen. lib. 13. cap. 1.*

Socrates fertur, cum ei Euripides Heracliti opus legendum obtulisset, rogassetque, quid ei videretur? dixisse, Quæ intellexi, præclara sunt; quæ non intellexi quoque talia esse puto: Verùm Delio natatore egent, ne quis in iis suffocetur. *Laert. lib. 2.*

Euclides à quodam interrogatus, quales essent dii? Cætera quidem ignoro, respondit, at curiosos illis odio esse, certò scio. *Max. serm. 21.*

Simonides poeta, vir doctus ac sapiens, ab Hierone Siculo rogatus, Quidnam aut qualis esset Deus? ad deliberandum unius diei spatium poposcit. Id cùm effluxisset, revocatus & quod pridie quæsitum erat, jussus absolvere, biduum postu- E
lavit. Eo rursus elapso, petiit quatriduum. Cùm sic sæpè spatium duplicasset, tyrannus, quid sibi procrastinatio hæc vellet, percontatus est. Quia, quò diutiùs, inquit, cogito, eò mihi res videtur obscurior. *Cic. de natura Deorum.*

Xenophanes docendo solebat illud semper accinere:

Τοῦτο δεδοξάσθω μὲν ὁμοῖον πᾶσι ἐτύμοισιν.

Hæc vero videor sarcire affinia veris.

Plut. lib. 9. Con. q. 14.

Melanthius de tragœdia Diogenis rogatus, negavit perspicere se eam potuisse, dictionum nebulis obvelatam. *Plut. de Audiend. poetis.*

Cùm Cn. Pompejus ædem Victoriæ dedicaturus foret, cujus gradus vice theatri essent, nomenque ejus, & honores inscriberentur, quæri cœptum est, utrum consul tertiò inscribendum esset, an tertium. Eam rem Pompejus exquisitissimè retulit ad doctissimos civitatis. Cumque dissentiretur, & pars Tertiò, alii Tertium scribendum contenderent, rogavit Ciceronem Pompejus, ut quod ei rectius videretur, scribi juberet. Tum Ciceronem judicare de viris doctis veritum esse, ne quorum opinionem improbasset, ipsos videretur impro- F
basse. Persuasit igitur Pompejo, ut neque tertium, neque tertiò scriberetur, sed ad secundum usque fierent litteræ, Tert. ut verbo non præscripto, res quidem demonstraretur, sed dictio tamen ambigua verbi lateret. At cum multis post annis scena, quæ procederat, refecta esset, numerus tertii consulatus, non uti initio, prioribus litteris tertii; sed tribus tantùm lineolis III. incisis significatus est. *Gellius lib. 10. c. 1. ex Marci Varronis lib. disciplinarum quinto, & ex Tyrone Tullio, Ciceronis liberto.*

Cum à Quintiliano Tribuno plebis ad Patres relatum esset de libro Sibyllæ, quem Caninius Gallus Quindecimum recipi inter cæteros ejusdem vatis, & ea de re Senatusconsultum fieri postulaverat; idque illo referente per discessionem factum esset: Tiberius Cæsar litteras misit ad Senatum, quibus Tribunum plebis modicè increpabat, ob juventutem ignaram antiqui moris, atque instituti: Gallo verò exprobrabat, quòd in scientia ceremoniisque versatus, de carmine, cujus auctor incertus erat, quod, citra quàm fieri consuevit, magistri nec legerant priùs, nec æstimaverant, item ante sententiam collegii, & apud infrequentem Senatum, sive per se, G
sive per alium egisset. Denique & Patres ipsos admonebat, non meminisse se, cùm multa vana sub nomine celebri vulgarentur, sanxisse Augustum, intra quam diem ad Prætorem urbanum deferrentur, neque habere privatim liceret: quinimò & à majoribus quoque decretum esse, post exustum Sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Illo, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam, & Italicas colonias carminibus Sybillæ (una seu plures fuerint) datoque Sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernerent; ideoque nunc etiam notioni Quindecimumvirum hunc librum subici. Quare ut denuò rem hanc maturiùs agerent, monebat Senatum. *Corn. Tac. lib. 5.*

Galenus etiamnum juvenis, si de secta aliqua, cùm nulli addictus esset, percontaretur, num sana esset? dicebat, se respondere non posse, nisi reliquarum omnium dogmata perdidicisset, ac methodum sibi eas dijudicandi logicam comparasset. *Gal. lib. 8. Methodi c. 3. & de cognosc. animi morbis c. 8. & de cuiusque animi peccatorum medela cap. 6.*

Evagrius, quum longa orationis serie audivisset de Deo, atque Trinitate disputantes, Divinitatem nequaquam definien- H
dam esse respondit: Omnes enim alias propositiones habere genus, quod prædicetur, aut speciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut ex his compositam orationem; sed nihil in sancta Trinitate, horum quæ dicta sunt, posse comprehendi. Ideòque quod ineffabile est, silentii tantùm veneratione esse adorandum. *Socrates l. 6. Tripart. hist. c. 21.*

D. Augustinus, posteaquam Manichæorum errores subodorari cœpit, neque tamen Catholicis doctoribus credere potuit, cùm moles illæ duæ contrariæ Boni, & Mali, quas à prædicta hæresi penitissimè imbiberat, illius animæ obversarentur, ad Academicorum sectam, de omnibus dubitantium, se contulit, quoad certi aliquid eluceret, quod in religione sequeretur. *Testis ipsemet l. 5. Confes. c. 10. & 14.*

Theotimus Scytharum Episcopus, urgentibus Theophilo Alexandrino, & Epiphanio, ut Origenis scripta damnaret, respondit: Ego nec eum qui jam olim benè obdormivit, contumelia afficere volo; nec rem blasphemam aggredi ausim, ut reprobem, quæ majores nostri non reprobarunt. *Socrates l. 6. cap. 12. Sozomen. l. 7. c. 25.*

An-

A ANDRONICUS Comnenus Imp. in religione optimè institutus, de divinis dogmatibus disputandi curiositatem adeò improbabat, atque de Deo novi aliquid vel dicere, vel scribere aversabatur, ut Euthymium Episcopum Novæ Petræ eruditissimum, de illo Christi dicto, Pater major me est, in suo tabernaculo contra quendam alium contentiosiùs differentem objurgarit, & in Rhyndacum amnem se abjecturum minatus sit, ni desisteret. *Nicetas lib.2.*

Ego, inquit *Vives lib.5.de Trad.discip.* Adrianum VI. Pontificem, quum adhuc esset Decanus Lovaniensis, in publicis sæpè disputationibus, quæcunque auctorum dicta à disputantibus citarentur, interpretantem pro se audivi, nunquam aspernantem, etiam si ex iis essent, qui tum viverent.

PRACTICA.

☞ *Consule locum Prudentiæ in Iudicio suspendendo.*

EPAMINONDAS Thebanorum dux rogatus, utrum se censeat an Chabriam, an verò Iphicratem ducem meliorem? Id, inquit, B dum vivimus, æstimatu est intricatum. *Plut. in apopht.*

Cùm esset controversia inter Calydonios, & Eleos, utrique rem ad arbitrium Bunæ Atheniensis detulerunt. Convenerat autem, ut à manibus temperarent, donec ille de negotio pronunciasset. Quod ubi sensisset Bunas, de industria audiebat quidem utramque partem, cæterùm per fictas occasiones rem in longum distulit, nec unquam de lite voluit pronunciare. Auctor Mnaseas apud Zenodotum. Hinc adagium, Bunas judex est, ubi lis in longum profertur, nec unquam explicatur. *Erasm. in Adag.*

Videri fecisse, formula qua Veteres in sententiis utebantur. *Cic. lib. Acad. q. 2.* Quam rationem, inquit, majorum etiam comprobat diligentia, qui primùm jurare, &c. quæque jurati judices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut videri pronunciarent. *Hotoman. de verbis iuris.*

JUDICIUM ALTERI DELEGARE.

TRANSLATIO JUDICII IN alium.

C PLATO consultus à conductoribus, de sacræ aræ apud Delios duplicandæ ex oraculo, modo, atque forma, eos ad Euclidem geometram ablegavit, scientiæ ejus cedens, imò professioni. *Valer. lib.8.cap.13.* Atqui Proclus cubi duplicationem Platoni veriùs tribuit, præsertim cùm Euclydes junior fuerit, neque is inventi hujus tam præclari in Elementis nominatim mentionem fecerit, *ut P. Ramus in Prœmio mathematum ostendit.*

Q. MUTIUS Scævola augur, clarissimus legum vates, & certissimus, quotiescunque de jure prætorio consulebatur, ad Furium, & Casselium, qui huic scientiæ dediti erant, consultores reiiciebat. Quo quidem facto moderationem suam magis commendabat, quam auctoritatem minuebat, ab his negotium aptiùs explicari posse confitendo, qui quotidiano ejus usu callebant. *Val. Max. l.8. c.13.*

C. AQUILIUS Gallus jurisperitus, si quis negotium ad ipsum detulisset, in quo de facto quærebatur, dicere solebat: Nihil D hoc ad jus, ad Ciceronem ito. Sensit Gallus, aliud esse officium jureconsulti, aliud oratoris; nec esse necesse de his quæ ad alienam professionem pertinerent, respondere. *M. Tul. in Topicis.*

HADRIANUS Imp. de partu XI. mensium, medicorum & philosophorum sententiam requisivit. *Svetonius.*

Cùm videret Hilarius Pontifex, in Ecclesia ortam contentionem de tempore Paschatis celebrandi, non nisi arithmeticæ, atque astronomiæ opera componi posse, hujus rei judicium Victorino, in ea Galliæ parte, quæ Morinorum olim, nunc Britannorum esse dicitur, orto, qui in utraque illa arte peritissimus habebatur, detulit, ut temporis rationem constitueret, quam catholica tota servaret Ecclesia. *Fulgos. lib.8. cap.13.*

Propter eandem controversiam Sixtus IV. Pontifex, ex Germania Jo. Monteregium, arithmeticum atque astronomum peritissimum, Romam accivit. Et quamvis ipse non ob aliam rem, quàm propter ingentis doctrinæ opinionem, ad Pontificatum conscendisset, aliorum doctrinæ, in eo quo ipse plurimùm excellebat, cedere voluit. *Idem.*

APPROBARE, RATUM HABERE.

☞ *Sub loco Veritatis, & Mendacii.*

Cùm sententiam aliquando in concione diceret Phocion, quæ probabatur, omnesque Athenienses ex æquo videret orationi suæ assentientes, conversus ad amicos: Numquid imprudens, inquit, malè dixit? *Plut. in apopht.*

Pop. Rom. ait M. Cato non purpuræ modò, sed studiis etiam facere auctoritatem. Ut enim insectores, hanc maximè tingunt, quam vident esse gratam: ita juventus hæc præ cæteris discit, & sectatur, quibus honos habetur à nobis. *Plut. in Catone.*

Trib. pleb. Romæ intrare curiam non licebat, ante valvas autem positis subsellis, decreta patrum attentissima cura examinabant, ut si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent. Itaque veteribus Senatusconsultis T. littera subscribi solebat, eaque nota significabatur, illa Tribunos quoque censuisse. *Val.*

Proditum memoriæ est, Germanos concilio coacto, si quid quod minùs placeret, propositum esset, murmure & fremitu dissentire, & sententiam aspernari; si quid verò complacitum F fuisset, frameas & tela concutere, sonoque armorum, & tripudiis approbare. *Alex. lib.4.cap.11.*

* JUDICIA INIQUA PUNITA.

JUDICES INIUSTOS DEPONERE, COERCERE.

Cum Romanus quidam Stephanus nomine, judex sacri palatii, summum Præfidentatum Auximi administraret, exigente causa, Dominicus, vir mirabilis, ad eum venit, eumque super quadam eremi possessione, quam ex jure Sedis Apostolicæ detinebat, obnixè rogavit. Quem ille, utpotè nulla vestium compositione festivum despexit, eique nihil eorum, quæ poscebat, indulsit. Cumque sibi à circumstantibus dicerctur: Noli eum tam durè suscipere, sanctus enim vir est, ille tanquam evomens, ait: Sit sanctus, ut vultis, beatus Petrus certè sanctior est, cujus ego causam in hac administratione defendo. Igitur impos cœpti Dominicus redit ad cellulam. Ille quoque post paululum reversus est Romam. Porrò puer quidam despicabilis, qui ad exequendum quodque negotium in administratione remansit, G quicquid Dominicus petierat à judice, cuncta reverenter implevit. Judex autem non diu post, quàm ad propria rediit, hostilibus gladiis persossus interiit, multaque divitias, quia sobolem non habebat, extraneis hæredibus dereliquit. *Aloys. Lip. in vita vener. Dominici Loricani per P. Dam. ad Alex. Papam scripta, apud Sur. 14. Octob.*

His subnectam & aliud, è Viridario Sanctorum deprompt. Erat in Episcopio Diaconus quidam, cui Sabinus nomen fuit, qui notarii calligraphi munere fungebatur, vir ingenii mitis, & vitæ honestate conspicuus. Porrò in palatio Pontificis eramus monachi omninò octoginta, inter quos potissimùm elucebat Sabinus, quem Epiphanius Ecclesiasticarum causarum judicem designarat. Habebant controversiam duo quidam inter se apud Sabinum, quorum alter erat copiosus, alter tenuis. Sabinus studebat pauperi magis, quàm opulento, quamvis dives æquiorem haberet causam, quàm inops. Epiphanius utriusque rationes, & Sabini judicis clementiam in miseros, ex occulto arbitrabatur, & cum à Sabino non pro æquo & bono judicari animadverteret, progressus in medium Epiphanius, modestè Sabinum compellat: Abi, inquit, fili, ad tuum scribendi H & notandi officium, & revoca in mentem sacrorum oraculorum decreta, & ex æquo jure quamcunque causam decide, memor sacri illius præcepti: Pauperis quoque non misereberis in judicio, nec respicies personam potentis. Ergo deinde Epiphanius ipse causas omnes omnium cognovit, deditque operam judiciis à prima luce usque ad tertiam horam pomeridianam, à qua hora ad alterum usque manè nunquam ampliùs ab ullo mortalium conspiciebatur. *Matt. Raderus in Viridario Sanctorum 3. par. cap.7. n.11.*

Non alienum erit hìc memorabile factum Sancti Annonis Præsulis Coloniæ Agrippinensis, ejus nominis secundi, inter cætera referre. Cum post seditionem quandam Coloniensem contra ipsum, ageret in arce, seu monasterio (ipse enim ex castro cœnobium fecerat) Sigembergensi, quod hodie est in ducatu Bergensi, haud procul à Bonna, contigit judices alti judicii Coloniensis pauperculæ cuidam mulieri injuriam ferre sententiam. Mulier questum Archiepiscopo de injuria sibi à Scabinis illata Sigembergium venit. Præsul mox illos ad se cum suis judiciariis libellis venire jubet. Rogat, cur sic tam in

A injustè viduam judicassent. Non habentibus, quo se excusarent, mandat omnium oculos effodi; uni interim, cujus filium è fonte Præsul susceperat, sic parcens, quòd huic unus tantùm oculus eruueretur, & esset, qui alios sex reduceret domum. Utque hujus rei memoria firmiùs hæreret, jussit domorum, in quibus isti judices excæcati habitabant, summis fastigiis superimponi lapideum absque oculis caput, quò sic ab iniquis judicis etiam posteri deterrerentur. Horum capitum superstant Coloniæ adhuc, cùm hæc scriberem, reliquiæ, præsertim in aliquo rerum venalium foro. *Io. Naucler. vol.2. Chronograph. gener. 36. an. salutis 1073.*

* EORUNDEM VINDICTA DIVINA.

Inter cætera, quæ circa annum Dom. 1571. dum in Anglia Catholici innocentes passim rapiuntur ad supplicium, acciderunt, istud in civitate ac universitate Oxoniensi memorabile contigit. Cùm enim de quodam Roulando Ginseo, qui pro Catholica religione reos causam dicturus comparuit, judicium de præcidendis ei auribus (quòd plebejus esset) ferretur; vix sententiam Judex pronunciaverat, cùm morbus repentinus, & exitialis prætorium illud universum invadens, nec alia loca B civitatis, aut homines attingens, ipsos judices, & assessores omnes, Provinciæ quoque Præfectum summum subitò corripuit, duodecimque præterea juratos ad hoc viros, ut pro consuetudine reum, vel innocentem denunciarent, sic occupavit, ut isti statim; judices verò assessores, & Præfectus prædictus, aliqui non post horas multas, reliqui post paucos dies, ad unum omnes interierint. Et cum illis eodem morbo, loco, & tempore correpti non minùs, quàm quingenti, variis extra urbem locis, paulò post extincti sunt. *Nicolaus Sander. de Schism. Anglican. circa ann. 1571.*

Anno Dom. 41. Olymp. 204. anno tertio, Pilatum olim Judææ procuratorem miseranda morte interiisse, scribit Eusebius his verbis: Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit, ut scribunt Romani Historici: Viennæ autem in Galliis id contigisse, cùm multi referant, Ado ejusdem civitatis Episcopus sic habet: Pilatus, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, & ipse perpetuo exilio Viennæ recluditur; tantisque ibi irrogante Cajo languoribus coarctatus est, ut sua se transverberans manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæsierit. *Eusebius in Chron.* C *Ado in Chron. ex Oros. lib.7.cap.5. apud Baron. to.1. anno 41. Gregor. Turon. lib.1.cap.24.*

JUDICIUM METAPHYSICUM RECTUM, VERUM, PROBUM, DE DEO.

Antiqui homines, cùm nihil in cœlo, neque in astris, neque in anni temporibus, vel circumvectionibus, vel meatibus Solis circùm terram diei, ac noctis molitoribus, vel pabulis animantium, vel fructuum fœturis, vagi aut inordinati contemplarentur, deos esse credidere, eosque qui non præesse dicerent universitati deos, damnarunt. *Plut. de Superstitione.*

Joni apud Euripidem non potest persuaderi, Apollinem Deum cum mortalibus puellis consuetudinem habuisse, quando inquit:

—— ὅστις ὢν βροτῶν
Κακὸς πέφυκεν, ζημιοῦν οἱ θεοί.
Πῶς ἂν δίκαιον, τοὺς νόμους ὑμᾶς βροτοῖς
Τιθέντες, αὐτοὺς ἁμαρτίας ὀλισκάνειν;

Quicunque mortalium improbus est, eum puniunt dii. Quomodo igitur æquum, leges vos mortalibus scribentes, D ipsos prævaricationis reos esse? Item:

Τοὺς νόμους γὰρ τῆς σφρονεῖν παρόν
Σπουδάζοντες, ἀδικεῖτ' οὐκέτι αὐτόματος κακῶς
Λέγειν δίκαιον, εἰ τὰ θεῖ' θεῶν καλὰ
Μιμοῖσθ', ἀλλὰ τοὺς διδάσκοντας τάδε.

Voluptates potiùs, quàm temperantiam sequentes, injuriis estis. Non ampliùs homines accusare justum, si quæ diis honesta sunt imitamur, sed eos, qui docent hæc.

HERCULES licèt insanus, Thesеum se consolantem, quòd etiam dii in cœlo sint particidæ, *apud Eurip. in Hercule fur.* sic ait:

Ἐγὼ δ' τοὺς θεοὺς ὅτε λέκτρ', ἃ μὴ θέμις,
Στέργειν νομίζω, δίημαι' ἐξαπεῖναι χερσίν
Οὐτ' ἠδίκουν πώποτ', οὔτε πείσομαι,
Οὐδ' ἄλλον ἄλλα διαπόνλω πεφυκέναι.
Δείσαι γὰρ ὁ θεὸς, εἴπερ ἐστὶν ὄντως θεὸς,
Οὐδενός· δοιοῦν οἶδα δύσλυσα λόγω.

Ergo Deos non puto lectos illicitos amare, vinculaque annectere manibus; neque dignum putavi unquam, neque credam, neque alterum alterius dominum esse. Opus enim habet Deus, si modò est revera Deus, nullius. Poetarum hi sunt E scelerati sermones.

Ἑρμῆς ὁ Τρισμέγιστος, Mercurius ter Maximus, Ægyptius sacerdos, rex, Philosophus, ante Pharaonem floruit. Sic dictus quòd de Trinitate locutus est, in Trinitate unam esse Deitatem asserens, in hæc verba: Fuit lumen intelligens ante lumen intelligens, & fuit semper mens mentis lucida, & nihil aliud fuit hujus veritas, & spiritus omnia continens. Extra hunc non est Deus, non Angelus, non essentia ulla alia. Omnium enim Dominus est, & pater, & Deus, & omnia sub ipso, & in ipso sunt. Obtestor te cœlum, magni Dei sapiens, obtestor te vocem Patris, quam locutus est primam, cùm omnem mundum firmavit, obtestor te per unigenitum sermonem, & Patrem omnia continentem, propitius, propitius esto. *Svid.*

XENOPHANES, qui de pietate, & natura deorum apud Græcos versibus scripsit, questus est de impietate poetarum, & Homerum, atque Hesiodum nominatim accusavit; hi enim versus ipsius leguntur *apud Sextum*:

Πάντα θεοῖς ἀνέθηκεν Ὅμηρος θ' Ἡσίοδός τε,
Ὅσσα παρ' ἀνθρώποις ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶν,
Κλέπτειν, μοιχεύειν τε, καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν. F

Victorius lib.35. Var. lect. cap.10.

EMPEDOCLES reprehendit Homerum, atque Hesiodum, ac cæteros omnes poetas, qui speciem hominis diis affingerent, quæ nullo modo, ut ipse docet, ipsis congruebat. Hi autem versus ipsius leguntur apud Ammonium, in commentario in segmentum IV. Aristotelis περὶ ἑρμηνείας: quibus Agrigentinus ille sapiens queritur, in hanc culpam incidisse mortales (tunc autem de Apolline loquebatur, nec tamen non cæteros etiam deos intelligebat; qui omnes forma illa præditi fingebantur)

Οὐτε κεφαλὴ κεφαλῆ κατὰ νῶτα κέκασται,
Οὐ μὲν ἀπὸ νώτων γε δύω κλάδοι ἀέστων,
Οὐ πόδες, οὐ θοὰ γοῦνα, οὐ μήδεα λαχύεντα·
Ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ, καὶ ἀδέσφατος ἔστετο μοῦνον,
Φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταίσσουσα θοῇσι. *Idem.*

HOMERUS *Iliad. α.* Jovem sic de seipso loquentem introducit:

—— ὃ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν,
Οὐδ' ἀτελεύτητόν γ', ὅτι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Triplici negatione, Trinitatis sacrosanctæ proprietates G ἀπορατικῶς (quia καταφατικῶς Deus exprimi nequit) subintelligendas proponit. Concurrit enim in Deo potentia, sapientia & benevolentia divina, ὃ παλινάγρετον, à πάλιν ἀγείρω, hoc est, ὃ μεταμελητικὸν, Sapientiæ æternæ proprium, quæ nulla ducitur factorum pœnitentia, neque ut homines nova captat consilia, aut cœtus sive concilia nova cogit, οὐδ' ἀπατηλὸν, quod est hominis malevoli, non decipit Deus, sed benevolus est, quinimò ipsa bonitas, οὐδ' ἀτελεύτητον Deo convenit, quia est infinitæ potentiæ, ut quæ vult, etiam possit. Quæcunque promittit, ea vult, est enim verax; quæ vult, eadem scit, & potest.

THALES interrogatus, an facta hominum Deos fallerent? Nec cogitata, inquit. *Val. Max. l.7.c.2.*

SIMONIDES Ceus, Lyricus, humani intellectus agnita debilitate, atque tenebris, pronunciare fuit ausus, solum Deum esse sapientem, & per consequens etiam Metaphysicum. *Arist. in 1. Metaphys. 2.*

SOLON, inter septem Græciæ sapientes ultimus tempore, sed primus dignitate, sapientiæ nomen, & munus (tripodem H videlicet auream) non homini alicui, sed Delphico Apollini deberi asseruit. *Laert. lib.1.*

PYTAGORAS, cujus professionis esset, à Leonte tyranno rogatus, Philosophum se novo nomine appellare maluit, quàm Sophistæ ambitiosè vocari, quòd solum Deum σοφὸν esse diceret, homines verò σοφίας tantùm φίλους. *Laert. in eius vita.*

August. lib. Confess. 8. ait, se in libris Platonicorum legisse, etsi non iisdem verbis, sententiam Euangelii D. Joannis, In principio erat verbum. Amelius autem Platonicus sic inquit: Atque hoc erat illud verbum, per quod ea quæ facta sunt, fiebant, cùm tamen semper essent; quemadmodum & Heraclitus voluit. Et per Jovem Barbarus ille censet, in ordine dignitateque principii constitutum apud Deum esse, & Deum esse, & per ipsum omnia facta esse, & in ipso quod factum est, vivum & vitam & ens fuisse. Barbarum verò Joannem dicit. Ex Platonis item epistolis constat, verbo Dei omnia esse facta, & ex Plotino, filium Dei esse creatorem. Numenius quoque non vult, Deum primum creatorem esse, sed secundum. *L. Vives in lib.10. Aug. de Civ. Dei, cap.29.*

Ut alia nonnulla passim canentes, ita nullo modo ferti posse poetas

A poetas, affirmat Plato *in 3. lib. de Reg.* qui tradunt, heroas nulla re meliores præstantioresque fuisse hominibus, atque id ad adolescentiùm aures inculcant; esse namque cuncta hæc, & impia adversùs Deos immortales, eximiaque illa naturas, & falsa. Eam igitur culpam meritò reformidare potuit Socrates, qui in libro, quem scribit ad Philippum Macedonem, excogitata callida se purgandi ratione, simulque subtiliter regi assentans, inquit, se sibi ob eam rem à rebus ipsius gestis narrandis temperasse, ne minores ipso fuisse humiliioresque ostendat, qui heroes vulgò habentur, ac superasse mortalem conditionem existimantur; hoc enim facere, esset omnem illis dignitatem eripere. Post superiorem autem sententiam addit, eundem locum urgens, illa præterea iis qui audiunt, esse detrimentosa, habemque non parvam animis eorum afferre; unusquisque enim, inquit, sibi ignoscet, si mali aliquid fecerit; persuasus, hujusce modi etiam scelera moliri, ac sæpè fecisse, qui fati sunt è diis immortalibus, ac propè absunt à divina progenie. Quibus omnibus de causis censet hujusce modi fabulas tollendas, ne in teneris animis magna peccandi licentia inseratur. Hoc igitur, quod metuebat sapientissimus scriptor, & qui omnes fibras vitiorum
B evellere studebat, animum addidit ad stuprum virgini inferendum Chereæ Terentiano; ut ipse ille adolescens narrat. Nam cùm de lasciva tabula picta, & quæ mirificè quadrabat in domo meretricia, loqueretur, inquit: Egomet quoque id spectare cœpi, & quia consimilem luserat jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi, Deum sese in hominem convertisse; & quæ sequuntur. Ad extremum autem, quod vitium harum rerum apertè significat, à Platoneque imprimis exagitatur, addidit: Ego homuncio hoc non facerem? ego illud verò ita feci, ac lubens. *Victor. lib. 1. Var. lect. cap. 15.*

Homines ex sua quoque natura & ingenio deos quos colerent sibi finxisse, Aristoteles *lib. 1. Politic. cap. 3.* disertè indicat; quandoquidem iisdem, licèt incorporeis, corporeas tamen formas, à suis mutuatas corporibus, tribuerunt. Eaque de causa cùm regio imperio homines primi fuerint usi, uti etiamnum pleraque gentes, regiam quoque inter deos politiam confinxere, & Jovem omnibus præfecere.

Relatum est in litteris, pontificem Q. Mutium Scævolam disputasse, tria genera tradita deorum, unum à poetis, alterum à Philosophis, tertium à principibus civitatis. Primum
C genus nugatorium esse, quòd multa de diis fingantur indigna. (Proinde etiam *Dionys. Halicarn. lib. 2.* scribit, Romanos ejecisse commenta illa poetarum, quibus dii inter se pugnantes, dissidentes, adulterantes, & ejusmodi finguntur, quæ non modò de diis, sed ne de viris quidem bonis, uti dicerentur, digna essent: Romulumque assuefecisse Quirites suos, ut & benè sentirent, & benè loquerentur de diis) Secundum, non congruere civitatibus, quòd habeat aliqua supervacua, aliqua etiam quæ obsint populis, nosse. Nimirùm non esse deos Herculem, Æsculapium, Castorem, Pollucem. Proditur enim à doctis, quòd homines fuerint, & humana conditione defecerint. Expedire igitur existimat, falli in religione civitates. Quod dicere etiam in libris rerum divinarum ipse Varro non dubitat. *D. Aug. lib. 4. de Civ. Dei, cap. 27.*

M. Varro confitetur, non se illa numina judicio suo sequi, quæ civitatem Romanam instituisse commemorat (ut, si eam civitatem novam constitueret, ex naturæ potiùs formula deos nominaque deorum, se fuisse dedicaturum, non dubitet confiteri) sed quoniam in vetere populo jam esset accepta, ab antiquis nominum, & cognominum historiam tenere, ut tradita est, de-
D bere se dicit; & ad eum finem illa scribere, ac perscrutari, ut potiùs eos magis colere, quàm despicere vulgus velit. Quibus verbis homo acutissimus satis indicat, non se aperire omnia, quæ non sibi tantùm contemptui essent, sed etiam ipsi vulgo despicienda viderentur, nisi tacerentur. *Ibid. c. 31.*

Idem non vult fabulosis adversùs deos fidem adhibere figmentis, ne de majestatis eorum dignitate indignum aliquid sentiat. Et ideò, nec Areopagon vult inde accepisse nomen, quòd Mars, cùm homicidii crimine reus fieret, judicantibus duodecim diis in eo pago, sex sententiis absolutus est; quia ubi paris numeri sententiæ fuissent, præponi absolutio damnationi solebat. Fabulam quoque repudiat de tribus deabus, Junone, & Minerva, & Venere, quæ pro malo aureo adipiscendo, apud judicem Paridem de pulchritudinis excellentia certasse narrantur. *Ibid. lib. 18. cap. 10.*

Cicero augur irridet auguria, & reprehendit homines, corvi & corniculæ vocibus vitæ confinia moderantes: Sed iste Academicus, qui omnia esse contendit incerta, indignus est qui habeat ullam in his rebus auctoritatem. Disputat apud eum Q. Lucilius Baldus in secundo de Deorum natura libro, & cùm ipse superstitiones ex natura rerum velut physicas, & E philosophicas inserat, indignatur tamen institutioni simulacrorum, & opinionibus fabulosis, ita loquens: Videtisne igitur, ut à physicis rebus benè atque utiliter inventis, ratio sit tracta ad commentitios, & factos deos? Quæ res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos, & superstitiones penè anites. Et formæ enim nobis deorum, & ætates, & vestitus ornatusque noti sunt; genera præterea, conjugia, cogitationes, omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ, nam & perturbatis animis inducuntur. Accepimus enim deorum cupiditates, ægritudines, iracundias. Nec verò (ut fabulæ ferunt) dii bellis prælisque caruerunt. Nec solùm, ut apud Homerum, cùm duos exercitus contrarios alii dii ex alia parte defenderent, sed etiam ut cum Titanis, aut cum Gigantibus, sua propria bella gesserunt. Hæc & dicuntur & creduntur stultissimè, & plena sunt vanitatis, summæque levitatis. *Ibid. l. 4. c. 30.*

Tertullianus multitudinem ethnicorum deorum irridens, inquit: Si dii feliguntur ut bulbi, utique cæteri improbi judicantur. *D. Aug. l. 7. c. 1.* hoc facetiùs quàm verùs dictum ostendit: Neque enim ex hoc, quòd dii ex multis quidam selecti F
B sunt, vel is qui scripsit, vel eorum cultores, vel dii ipsi virtuperandi sunt; sed animadvertendum potiùs, quinam isti sint, & ad quam rem selecti videantur.

Galenus Pergamenus, Deum ut agnovit unum esse (summum videlicèt, & principem deorum: Æsculapium tantùm pro particulari quodam, ac solius Medicinæ præside genio colens, sicuti etiam Socrates) ita eundem optimum maximumque, & cogitationum etiam nostrarum conscium existimavit. In septemdecim illis libris, quos de Usu corporis humani inscripsit, veluti totidem hymnos, ut ipse appellat, Conditori compositos, opificis nostri sapientiam, providentiam, justitiam ac bonitatem non solùm agnoscit libentèr, sed & magna cum admiratione, & reverentia nusquam non prædicare, & extollere solet. Imò sacrificium hoc Deo acceptissimum esse censet, non si ei hecatombas victimasque offerat quispiam cruentas, aut casiam & thura accendat; sed mysteria illius operaque primùm quidem unusquisque cognoscat, expendatque, postea verò aliis communicet. In horum enim ignorantione summam impietatem consistere profitetur, ut veram pietatem in opifice nostro laudando, cujus sapientia sit infini-G ta, potentia invicta, benignitas perfecta.

DE CHRISTI

Potentia.

Porphyrius in libro, quem adversùs religionem nostram scripsit, *teste Eusebio*, inquit: Et quid miramur, si tam multos annos peste civitas vexatur, cùm & Æsculapius, & alii dii, longè absint ab ea? Posteà enim quàm Jesus colitur, nihil utilitatis à diis consequi possumus. Ergo sceleratus ille nosci quidem Jesu Christi potentiam, sed non agnoscit.

Cùm adhuc essem puer, inquit *D. Hieron.* & in Grammaticæ ludo exercerer, omnesque urbes victimarum sanguine polluerentur, ac subitò in ipso persecutionis ardore Juliani nunciatus esset interitus, eleganter unus de ethnicis: Quo modo, inquit, Christiani dicunt Deum suum esse patientem, & ἀνεξίκακον? nihil iracundius, nihil hoc furore præstantius, ne modico quidem spatio indignationem suam differre potuit. *Hier. lib. 2. in Habacuc, cap. 3.* H

Miraculis.

Plerique arbitrantur, maximum esse signorum Jesu Christi, quòd Lazarus suscitatus est, quòd cæcus ex utero lumen acceperit, quòd ad Jordanem vox audita sit Patris, quòd transfiguratus in monte, gloriam ostenderit triumphantis. Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quòd unus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis ut posteà crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sævientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, mensasque subvertere, & cathedras constringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam, ac fidereum radiabat ex oculis ejus, divinitatis majestas lucebat in facie. Cumque manum non auderent iniicere sacerdotes, tamen opera calumniabantur, & testimonium populi atque puerorum, qui clamabant, Osanna filio David, vertebant in calumniam; quòd videlicet hoc non dicatur, nisi soli filio

A filio Dei. *Sanctus Hieronymus cap. 21. in Matthæum.*

Morte.

Judæorum Primates, Scribæ & Pharisæi, de Christo tollendo consultabant. Cayphas princeps sacerdotum prophetico spiritu: Expedire, dixit, unum hominem mori, ne tota gens periret. *Ioan. 11.*

DE CULTU DEORUM.

Iphigenia sacerdos Dianæ Tauricæ, quæ dicebatur gaudere cæde hominum, affirmat, illos mortales (neque enim universè de omnibus loquitur, verùm de illis tantùm, apud quos degeret) & barbaros, & immanes, cùm ipsi cædibus quotidianis inquinentur, improbè affingere eandem culpam illi deæ. Ante verò eadem quasi insimulans poetas, & qui hæc comminiscebantur, ostendit, se nullo modo credere, deos aliquando humanam carnem vorasse, id est, convivio humerum Pelopis absumpsisse. *Apud Eurip. in Iphigenia.*

Sed hujus duo incuso consilia, quæ mortalium quidem si quis commiserit cædem, aut puerperam, aut cadaver attigerit manibus, ab aris arcet, tanquam execrabilem existimans; ipsa-
B met verò victimis oblectatur, quæ constant ex cæde humana. Non est, quòd peperit Jovis uxor Latona tantam inscitiam. Ego quidem quas Tantalus apposuit diis epulationes, fide non dignas judico, filii oblectatum esu; sed ipsos hujus terræ incolas, cùm sint homicidæ, in deam hoc peccatum referre existimo. Neminem enim deorum esse malum puto.

Athenodorus philosophus multùm eos damnari debere ajebat, qui longis orationibus Deum fatigarent, eaque peterent, quæ peti ab eis homines scire nollent, rogandumque solùm de iis Deum esse, quæ minimè molestè homines ferant, etiamsi ab omnibus intelligantur.

Cyprian. de Idol. vanit. ubi dicit, deos omnes gentium, homines fuisse: Hoc, inquit, ita esse, Alexander M. insigni volumine ad matrem suam scribit, metu suæ potestatis proditum sibi de diis hominibus à sacerdote secretum, quòd majorum regum memoria servata sit, inde colendi, & sacrificandi ritus inoleverit. *L. Vivesin l. 8. Aug. de Civ. Dei, cap. 5.*

Dicit Varro, antiquos Romanos plus, quàm annos centum & septuaginta, deos sine simulachro coluisse. Quod si adhuc, inquit, mansisset, castius dii observarentur. Cujus sententiæ
C suæ testem adhibet inter cætera etiam gentem Judæam, nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat: Qui primi simulacra deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis, & metum dempsisse, & errorem addidisse. Prudenter existimans, deos facilè posse in simulacrorum stoliditate contemni. Quòd verò non ait, errorem Tradiderunt, sed Addiderunt, jam utique fuisse etiam sine simulacris intelligi vult errorem. *D. August. lib. 4. de Civ. Dei, cap. 31.*

DE SIMULACRIS DEORUM.

Varro dicit, antiquos simulacra deorum, & insignia, ornatusque confinxisse, quæ cùm oculis animadvertissent hi, qui adissent doctrinæ mysteria, possent animum mundi, ac partes ejus, id est, deos veros, animo videre; quorum qui simulacra specie hominis fecerunt, hoc videri secutos, quòd mortalium animus, qui est in corpore humano, simillimus est immortalis animi, tanquam si vasa ponerentur causa notandorum deorum, & in Liberi ædem cœnophorum sisteretur, quò significaretur vinum, per id quod continet, id quod continetur; ita per simulacrum, quod formam habet humanam, significari animam ra-
D tionalem, eò quòd velut vase natura ista soleat contineri, cujus naturæ Deum volunt esse, vel Deos. *D. August. de Civ. Dei, cap. 5.*

Seneca in eo libro quem contra superstitiones condidit, de simulacris agens: Sacros, inquit, immortales inviolabilesque deos in materia vilissima, atque immobili dedicant: habitus illis hominum, ferarumque & piscium, quidam verò mixto sensu diversis corporibus indunt: Numina vocant, quæ si spiritu accepto subitò occurrerent, monstra haberentur. Multa his similia ex eodem recitat *D. Aug. l. 6. de Civ. Dei, c. 10.*

DE SPIRITIBUS. SPIRITUS EXPLORARE,

Dignoscere.

☞ *Consule Tit. Diaboli tentationes superare, item alibi plurima huius argumenti exempla occurrent. De prædictionum veritate exploranda, paulo post sub Hominum prophetia.*

Gedeon, Joæ F. cùm ei appareret Angelus, & ut Israelita-
L. B. Theat. vitæ Human. Tom. IV.

rum defensionem contra Madianitas susciperet, hortaretur, pe- E
tiit sibi signo aliquo ostendi, Quisnam esset, & hœdi carnes cum jure in saxum effudit. Angelus igitur virga carnes tetigit, & ignis exortus, carnem panesque consumpsit, moxque ille evanuit. Similiter cum Madianitis congressurus, victoriæ signum sibi petiit dari, vellere in area per noctem posito, si in eo solo ros esset, & tota terra sicca. Iteratò deinde petiit, ut tota terra rore imbuta, solum vellus siccum permaneret. *Iud. c. 6.*

Cùm Manue è tribu Dan ejusque uxori sterili Angelus apparuisset, & de Samsone filio fortissimo concipiendo spem fecisset, non priùs acquievit Manue, quàm cupro, & ferro in petra cremato, genius per flammam in cœlum ascendit. *Iudic. c. 13.*

Zacharias sacerdos, cùm Gabriel Angelus nativitatem Joannis ei prædiceret, ætatem causatus, & suam & uxoris Elizabethæ sterilis natura, signum petebat, dicens: Qui cognoscam istud? At Angelus signum ei dedit in pœnam, Ecce mutus eris ad eum usque diem, quo fiant hæc. *Lucæ 1.*

Insigne & præclarum exemplum est Virgo Deipara benedicta, ne cuivis Spiritui credamus. Nam cùm Angelus Gabriel forma aspectabili ei appareret, eam salutaret, & incarna- F
tionem Filii Dei prædiceret, cogitabat illa, qualisnam hæc salutatio esset, quomodo hoc fieri posset, cùm nullam cum viro consuetudinem habuisset, Tùm demùm cùm ab Angelo doceretur de modo, dicebat, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Cur igitur nos cuivis spiritui statim fidem adhiberemus? *Lucæ 1.*

Magnis tentationibus exagitatus est D. Martinus, Turonensis Episcopus, à satana. Quodam tempore diabolus purpura, & diademate ornatus apparuit ei, sub persona Christi. Cumque Martinus viso hoc spectaculo obstupesceret, ait ad eum diabolus: Agnosce Martine, quem colis: Christus ego sum descensurus ad terras, priùs me tibi volui manifestare. Hic cùm Martinus nihil responderet, rursus ait, Martine, cur dubitas credere, cùm me videas? Christus ego sum. Tunc ille verbo Dei instructus per Spiritum Sanctum, ait: Meus Christus crucifixus fuit, & vulneratus, te verò tali in habitu non respicio, neq; in te credo. Ad hanc vocem ille evanuit. *Sulpit. in eius vita.*

Rathbodo duci Frisonum diabolus apparuit, in Angelum transfiguratus, inquiens: Cras accerse Vulfranum doctorem Christianorum, & ab eo quære, Quænam sit illa mansio æternæ G
claritatis, quam tibi polliceitur: Quam cum demonstrare nequiverit, utriusque partis mittantur legati, & ego ero dux itineris, & demonstrabo illis domum auream, mansionemque pulcherrimam, quam tibi promitto. Evigilans Rathbodus, narravit cũcta S. Vulfrano. Qui dixit: Præstigias has esse diaboli. Respondit dux, se futurum Christianum, si illam pulchram mansionem sibi ostenderet. Mittitur statim quidam Friso ex parte ducis, & quidam diaconus ex parte S. Vulfrani; qui cùm paululùm ab oppido processissent, obvium habuerunt quendam itineris comitem, & pergentes per viam latissimam, & loca ignota, viderunt quandam viam diversorum marmorum generibus polito opere decoratam, viderunteque à longè domum quasi auream, & pervenerunt ad plateam ante domum auro, & gemmis stratam. Intrantes in domum miræ pulchritudinis, & splendoris, viderunt in ea thronum miræ magnitudinis. Tunc ductor itineris ait illis: Hæc est mansio præparata Rathbodo duci. Ad hæc diaconus obstupescens, ait: Si à Deo facta sint ista, perpetuò maneant; si à diabolo, citò dispereant. Et cùm signaret se signo sanctę crucis, ductor ille transiit in diabolum, domus verò aurea H
in lutum. Remansitque Diaconus, & Friso in loco paludosi, & senticoso, triduoque immensi itineris conficientes iter, reversi sunt ad oppidum, ducemque mortuum invenerunt, & narraverunt, quæ viderant, S. Vulfrano, an. 718. *Vincent. l. 23. c. 146. ex Ovone presbyt. Sigeberti. Euphordiensis c. 66.*

In Præmonstratensi Ecclesia fratri cuidam, altiùs de ineffabili Trinitatis mysterio cogitanti, in matutinis astitit dæmon, tria habens capita, seque Trinitatem esse affirmans, & ob fidei suæ meritum, Trinitatis apparitione ipsum dignum habitum. Monachus diaboli deprehendens illusiones, convitiando eum à se abegit. *Continuator Sigeberti, sub annum 1121. Vincent. lib. 26. c. 29.*

Legitur in vita S. Germani Antissiodorensis Episcopi, quòd cùm nocte quadam in diversorio mensa iterùm à cœna sterneretur, admirans inquisierit ab hospitibus, Cui cœna pararetur? eique responsum, Bonis illis viris, ac fœminis, quæ nocte vagantur. Itaque Sanctus vigilare statuit, & ecce multitudinem ad mensam virorum, ac mulierum venientem, quibus ille mandans ne abirent, tota familia excitata quæsivit, Num quem ex iis cognoscerent? His omnes vicinos, ac vicinas esse dicentibus singulorum ædibus perscrutatis, omnes in suis lectulis decum-

A bentes invenit. Itaque statim omnes adjuravit; qui se dæmones esse confessi sunt.

MENIPUS Demetrii Cynici discipulus, adolescens formosissimus, cùm Corintho Cenchræas proficisceretur, obviam habuit quandam imaginem puellæ peregrinæ, speciosæ & divitis, quæ ajebat, se esse amore illius accensam. Invitavit ergo eum, ut domi suæ diverteret. Ille amore captus, sæpè illic se illi commiscuit, ac de ineundo matrimonio cogitabat. Habebat domum regio ornatu apparatam. Apollonius Tyaneus cùm in ea domo singula considerasset, exclamavit, illam esse ex numero Lamiarum, quas aliqui larvas, alii lemures appellant. *Philostr. in vita Apollonii.*

JAMBLICUS magus insignis, cùm Apollinem exciente quodam Ægyptio statim comparuisset, attonitis viso præsentibus omnibus, Definite, inquit, sodales mei mirari; est enim gladiatoris, qui singulari certamine interiit, spectrum. *Eunap. in Ædesio.*

B DE ANIMORUM IMMORTALITATE

Vide locum de Anima. Item suprà de Immortalitate.

Laboravit hac in re primus omnium Pythagoras, & fabulosam illam suam μετεμψύχωσιν, quasi una eademque anima diversa corpora subire posset, excogitavit. Mox Plato, & ejus discipulus Aristoteles, qui in tribus libris de Anima immortalitatem defendit, subobscurè tamen, & perplexè, pro more suo. Hanc autem fuisse Aristotelis sententiam, contrà quam multi ἀθεοι defendant, luculentissimè post omnes alios ostendit *Antonius Bernardus Mirandulanus, Episcopus Casertanus, in magno Disputationum volumine*, ubi ex professo impiam Pomponati opinionem philosophicis rationibus convellit, & destruit. Christianis certè hominibus magis conandum est, ut Aristotelem in suas partes trahant, quàm ut illius auctoritate (quæ apud omnes maxima esse debet) religionem labefactent, & pro Peripatetica philosophia Epicureismum, sive, ut apertiùs loquar, Atheismum introducant. Nam si C summa auctoritas cum summa ratione semper jungitur, & veritatis firmamento innititur; quandoquidem auctoritate divina (quæ nulla major esse potest) nobis de animæ immortalitate constat, rationem porrò huic veritati consonam pro virili indagare debemus.

CYRUS major, moriens sic filios alloquitur: Nolite arbitrari, filii carissimi, me, cùm à vobis discessero, nusquam aut nullum fore. Neque enim dum eram vobiscum, animum meum videbatis; sed eum esse in hoc corpore, ex his rebus quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse creditote, etsi nullum videbitis. Nec verò clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quò diutiùs memoriam sui teneremus. Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in mortalibus essent corporibus, vivere, cùm existent ex his, emori; nec verò tunc animum esse insipientem, cùm ex insipienti corpore evasisset; sed cùm omni admixtione corporis liberatus, purus & integer esse cœpisset, tunc esse sapientem. *Xenoph. & Cic. in Catone maiore.*

Brachmanes multa de morte dicunt, & hanc vitam putant D esse quasi quendam vividum hominum conceptum; mortem verò nativitatem ad veram illam, & felicem vitam, iis qui rectè philosophati sint. Idcircò multa exercitatione utuntur ad mortis præparationem. *Strabo lib.* 15.

Druidæ Gallorum sapientes, animas credunt immortales, sed post mortem transire ad alios. Atque hoc maximè ad virtutem confertre putant, metu mortis neglecto. *Aimoinus lib.*1.*c.*6. *de gestis Francorum, ex Com.Cæsaris lib.*6.

Gallorum vetustissimus mos fuit, ut iis, qui civitates ipsorum ingrederentur, pecunias mutuas darent, quæ his apud inferos redderentur, quia persuasum habebant, animas hominum immortales esse. *Val.Max.lib.*2. *c.*1.

Getæ ἀθανατίζοντες dicti, fortissimi omnium Thracum, atque justissimi, Immortales dicuntur, quoniam se mori non putant; sed eum qui defunctus est, meare ad Zamolxim (aliis Bleixen) dæmonem, quem nonnulli eorum opinantur eundem esse Gebeleizem. Ad hunc mittunt assiduè cum navi quinque remigum nuntium quempiam, ex se ipsis forte delectum, præcipientes ea, quibus semper indigent. Modus mittendi talis est. Quibusdam eorum datur negotium, ut tria jacula teneant; alius, ut comprehensis ejus, qui ad Zamolxin mittitur, manibus pedibusque hominem agitantes, in sublime jactent ad jacula. Qui si in præsentiarum extinguitur, propitium sibi Deum arbitrantur; sin minùs, ipsum nuntium insimulant, asseverantes malum illum esse virum. Hoc insimulato, alium mittunt, dantes adhuc viventi mandata. *Herod.l.*4. *Ioan. Magnus lib.*1. *cap.*33.

CERCIDAS Megalopolitanus ex Arcadia, moriens dixit familiaribus suis, se non ægrè mortem obire; sperare enim se conventurum ex philosophis Pythagoram, ex historicis Hecateum ex musicis Olympum, ex poetis Homerum. Et hæc effatus, ut fama est, vitam amisit. *Ælian.lib.*13. *de Var.hist.*

SOCRATES hominem ipsum animum esse dicebat, corpus autem nihil aliud, quàm animi organum, vel domicilium, aut ut verùs dicam, sepulchrum, ac carcerem; unde cùm emeriserit tum demùm sui juris esse, multòque quàm anteà feliciùs vivere. Cujus opinioni adstipulantur quoque Grammatici, qui σῶμα quasi σῆμα, hoc est, monumentum animæ dictum volunt. Quamvis alias placeat, σῶμα de cadavere propriè dici, quod veluti loculus inanis sit; δέμας verò de corpore vivente, ἀπὸ τῆς σαυδείας, quòd anima corpori sit colligata. Idem Socrates jam moriturus, rogatus à Critone, quo modo sepeliri vellet? Multam, inquit, ô amici, operam frustra consumpsi: Critoni enim nostro nondum persuasi, me hinc avolaturum, neque quicquam mei relicturum: Veruntamen, ô Crito, si me assequi poteris, aut sicubi nactus eris, utcunque tibi videretur, sepelito. Sed mihi crede, nemo me vestrum, quum hinc excessero, consequetur. Judicibus dicebat: Anytus quidem, & Melitus (accusatores enim ejus fuerant) interficere me possunt; sed incommodo, aut detrimento minimè afficere. Quinetiam gaudere se vehementer dicebat de morte, quòd in campis Elisiis viros longè meliores, & sanctiores se reperturum speraret, Minoa, Æacum, Rhadamanthum, & quotquot unquam virtute celebres hìc sunt habiti. Est autem observatione dignum, quòd Socrates apud Platonem in Apologia ad judices, & populum Atheniensem verba faciens de morte sua, quòd multitudo sensibus ducitur, in incerto reliquit animæ immortalitatem, dilemmate tantùm usus: Si non moritur animus, majora me expectant bona; sin moritur, nihil sentiam. In carcere verò inter discipulos rerum cognitione excultos, & sapientiæ studiosos, nihil posuit in dubio, sed constanter, multisque argumentis conatus est evincere, ac persuadere, animos nostros corporibus suis superstites perseverare. *Lud.Vives de Veritate fidei, lib.*1.

ANAXARCUS philosophus à Nicocreonte Cypri tyranno captus, & malleis ferreis in saxo excavato contusus: Tunde, inquit, tunde Anaxarchi vasculum: Anaxarchum ipsum nequaquam lædes. Sensit, tyrannum quidem potestatem habere, ut pro arbitrio crudelitatem suam exerceat in corpora hominum; animum tamen immortalem semper fore, extra omne tyrannorum imperium. *Philo Iudæus in libro Quod omnis probus liber.*

Eam, quæ in somnis fit, divinationem, animorum immortalitati à corpore solutorum evidens dare testimonium, M. Cato apud Ciceronem asserit. Similiter Aragonum rex Alfonsus, ex Platonis Symposio magnum immortalitatis argumentum hoc sibi videri asserebat, quòd marcescente corporis oculo, oculus mentis in senibus maximè acuitur. *Panorm. lib.* 4.

Apud Ciceronem P. Scipio Africanus, quum ei à patre Paulo, & Scipione Africano avo ostensa esset cœlestis illa felicitas, qua fruerentur ii, qui patriam adjuvissent: Ego verò, inquit, etsi in patriam antehac optimè eram affectus, vestigiis ingressus vestris, nunc tamen tanto proposito præmio annitar multò vigilantiùs. Quem non excitaret contemplatio illorum bonorum? Superant illa cœlestia æterna bona omnem spem, omne votum, omnem cogitationem hominum; unum fieri cum ipso Deo, qui melior, qui major, qui beatior est, quàm qui amplitudine capi possit humanæ mentis. Contrà in disjunctione illius, cruciatus & supplicia sunt quæ vel cogitare animus vix sustinet. *Lud.Vives de Concord. & disc.lib.*4.

P. TRASEAS Pætus vir fortiss. cùm Neronis crudelitatem effugere juberetur: Nero me quidem occidere potest, inquiebat, perdere non potest. *Xiphilinus in Nerone.*

GENNADIUS medicus Carthaginensis, cùm de animorum immortalitate dubitaret, viverètne post mortem, an extinguerentur? viso bis per quietem juvene, qui primò urbem pulcherrimam ei ostendit, deinde postera nocte reversus ab eo petiit, an eum agnosceret? respondit: Et nosse se illum, & somnii meminisse. Iterùm ab eo interrogatus, ubi ejus corpus esset, & quid ageret? Cùm respondisset, in lecto esse, ac dormire? argumento, cui responderi non poterat, didicit, quemadmodum

A dum tunc dormiens cernebat per quietem, quamvis clausis oculis corpus in lecto jaceret: ita vita functo homine, crederet ejus Spiritum vivere, ac videre posse, quamvis tumulo clausum corpus maneret. *Fulgos.lib.*1.*cap.*5.

HERMIAS Ægyptius, Ammonii discipulus, Ægypto fratri Theodotes matris Isidori Philosophi, jurejurando confirmasse perhibetur, animam esse immortalem, & interitus expertem. Eam fiduciam illi faciebat vitæ integritas, naturam corporis aversata, & ad sese conversa, separationem animadvertens, atque ipsam adeò immortalitatem. *Suidas.*

In terra Austria, cùm obisset unus ex primoribus annos natus tres & nonaginta, qui vitam inter voluptates illecebrasque nulla unquam valetudine offensam duxisset, ignotaque illi omnis calamitas, omnis mœstitia fuisset; idque Friderico Iil. Cæsari narraretur: Et hinc, inquit ille, immortales animas censere licet. Namque si Deus est, qui hunc mundum gubernat, ut Philosophi, & Theologi dicunt, eumque justum esse nemo negat, profectò alia loca sunt, ad quæ post mortem animæ migrant, ibique pro factis, aut mercedem, aut pœnam accipiunt. Nam hic nec bonis sua præmia, neque malis sua supplicia reddi B videmus. *Æn.Sylv.lib.*4. *de Alfonso.*

LAURENTIUS Medices, quidquid alii tradant, de religione optimè sensit, ita ut eos quoque, quorum minùs de ea rectè essent sensus, aculeo orationis perstringeret: Minimè, inquiens mirandum esse, mortuos homines de animorum immortalitate & de beata vita dubitare. *Brutus lib.*8. *hist.Flor.*

DE BEATITUDINE ET FELICITATE HUMANA.

ASAPH, excellens propheta, & Levites, cùm improborum felicitate, proborum econtrà calamitate vehementer turbaretur, & hoc ipso providentiam divinam rationis humanæ somniis labefactari, sensim animadverteret, ad Dei oracula in sacris libris proposita, in cœtu piorum enarrari solita, tanquam ad Lydium lapidem confugiens,

Vidit repente, quàm pede lubrico
Starent superbi, quàm stabiles parùm
Opes tenerent, quàm fragilis loco
Fultos ruina præcipiti trahat.

Chorus *apud Eurip. in Hippolyto*, de providentia rectè quidem sentit; sed propter casuum indignam varietatem dubitanter: C

Η μέγα μοι τὸ δεῖν
Μελεδήμαδ', ὅταν φρένας ἔλθῃ,
Λύπας παραιρεῖ.
Ξυνὸν δ' ἔτι ἐλπίδι κλύειν
Δίκαιόμαι, οὐ τε τύχας θνατῶν
Καὶ οὐ ἔργματα λάθαται.
Ἀλλὰ γὰρ αἰνὸν ἀμείβεται·
Μετὰ δ' ἴσασι αἰθέρι αἰὼν
Πολυπλάνητος αἰεί.

Certè mirificè mihi deorum providentia, quoties in animum venit, tristitias adimit. Sapientiam verò quandam spe occultans, deficio, fortunas mortalium & opera spectans. Alia enim jam mutantur, commutatur verò viris vita, erraribus semper. Claudianus *in Ruffinum* 1. sic scribit:

Sed cùm res hominum tanta caligine volvi
Aspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Religio, causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ semina currere metu
Armat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, quæ numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Absolvitque deos, non alta ad culmina rerum
Iniustos crevisse queror, tolluntur in altum,
Vt lapsu maiore ruant.

PLATO *in libris de Repub.& Leg. & Phædone*, cognitionem veritatis summum hominibus bonum esse affirmat, quæ cùm perfectè contingere in hac vita nequeat, fit, ut difficilè putet viventium aliquem verè posse beatum dici; magnam tamen esse spem, ut eam cognitionem assequamur vita functi, liberi jam corporis vinculis, & impedimento ad res mente comprehendendas sublato. Cum ergo vita decesserimus, si modò purgati exeamus, tunc verum ipsum, & id quod ὄντως; id est verè est, Deum videlicet, intuentes, fruemur re nobis tantopere concupita, hoc est, veritate, & scientia rerum omnium. Itaque sicut oculi virtus munusque nullum sit, si lux absit, ipseque in tenebris agens, sempiterno mœrore maloque affectus desideat; sin verò accedat rebus sol ipse, fungatur vi, & vita sua, magnoque E gaudio spectet, & agat: sic intellectus noster corpore solutus, si desit ei lux veritatis Dei, torpeat mœreatque necesse est; si adsit, lætatur, & fruatur ea luce, in qua insunt vivæ expressæque rerum omnium species. Quo fit, ut nec in voluptate tantum sit menti nostræ gaudii, ac felicitatis, nec cùm nobis ipsi placemus, ac veluti nobis ipsi fruimur, quantum in contemplatione illius verè existentis, & summi boni, perfectaque inquit Plato, puræ sapientiæ divini luminis assecutione. Ideò cùm absolutè beata est anima, non primùm, ut pulchro, & caro fruitur Deo, in quo est voluptas, qui actus est voluntatis, sed, ut vero, qui est intellectus. Tametsi mox pulchritudo consequitur, & statim quoque voluptas, ut in Philebo distinguit, nec sejuncta hæc possunt esse. Nemo enim Deum nuvit, quin admiretur, & cognita illius pulchritudine bonoque amet magna cum oblectatione. Hæc ex placitis Platonis, qui rerum inspectioni semper primas attribuit partes, illudque facturas dicit beatorum animas, cùm è corporibus evolaverint. Hæc est beatitudo, quàm iis, qui sanctè vixerint, promisit, ad hanc vocat, ad hæc cohortatur, & excitat. In quam sententiam Academici, & Peripatetici pedibus, & verbis ruerunt, *ut Arist.* F 10. *Ethic. & Cic.*5. *de Finibus docent. Vives in lib.* 8. *Aug. de Civ. Dei, cap.*8.

De hominum Prophetia, Oraculis, Prædictionibus.

EXPLORANDO VERITATEM.

☞ *Hic homines fatidicos exploramus, paulò antè Spiritus.*

EZECHIAS rex Judæorum, ab Esaja propheta admonitus fuit ne metueret Assyriæ regem Sennacherib; eum namque divinitùs profligandum esse. Cujus rei signum ei dedit tale. Vivite hoc anno segete restibili, altero item anno, eo quod spontè sua proveniet; tertio anno sementem messemque facitote, & vineas conseritote, earumque fructu vescimini. Ac quod ex puella Judæa reliquum evaserit, id rursus acta deorsum radice, sursum edet fructum. 4.*Reg.*9. *& Esaia cap.*37.

Idem cùm ex morbo decumberet, & Esajas eum moriturum affirmaret, precibus à Domino obtinuit, ut xv. anni vitæ suæ adderentur. Ejus rei signum ab Esaja jussus petere, periit, ut solaris umbra decem gradibus retrograderetur. Quod & annuente Domino obtinuit, solque decem gradibus retro- G cessit. 4.*Reg.*20. *& Esaia cap.*38.

Cùm Achaz Ezechiæ pater, Judæorum rex, Rasinem Syrum & Phaceam Israelitarum reges, cum exercitu adventantes, vehementer timeret: Esaias eum bono animo esse jussit, & Deo confidere. Quod si non crederet, peteret signum, vel cœleste vel terrestre à Domino. At Achaz signum se petiturum negavit, neque Dominum tentaturum. Tum Esajas incredulitatem ejus pietate adumbratam cognoscens: Dabit vobis vel nolentibus signum Dominus, Ecce virgo pariet, & Emmanuelem vocabit. *Esaiæ* 7.

CROESUS Lydorum rex, cùm contra Cyrum Persarum Regem bellum meditaretur, oracula priùs consulere voluit. Misit igitur Delphos Dodonam, ad Amphiaraum, & Trophonium, ad Branchidas oræ Milesiæ, denique etiam ad Ammonem, scisciturum, quidnam rex Lydorum Cræsus Halyattis F. ageret? veritatem oraculorum hac ludrica quæstione exploraturus. Ipse interea dimissis legatis, certo quodam die testudinem pariter, & agnum concisos, simul in aheno coxit, & operculo aheneo texit. Et reliqua quidem oracula nihil veri responderunt. At Pythia, simul ac legati templum ingressi sunt, hoscE H versus ex adyto pronunciavit:

Οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης,
Καὶ κωφοῦ σιωπῶντος, καὶ ὁ φωνέοντος ἀκούω.
Ὀσμὴ μ' ἐς φρένας ἦλθε κραταιρίνων χελώνης
Ἐν λέβητι σὺν χαλκῷ, ἁμὰ ἀρνείοισι κρέασιν,
Ἡ χαλκὸς μὲν ὑπέστρωται, χαλκὸν δ' ἐπέκειτο.

Cræsus oraculo fidem adhibere cœpit, & amplissima munera Delphos misit. *Herodotus lib.*1.

Cùm apud Assyrios in civitate Heliopoli Jonis Heliopolitæ fanum vaticiniis celebre esset, & Trajanus Imp. initurus esset Parthiam omni exercitu, hortantibus amicis, ut de eventu rei cœptæ hunc Deum consuleret, Romano egit consilio, explorando priùs fidem religionis, ne fortè fraus subesset humana. Et primùm misit signatos codicillos, ad quos sibi rescribi vellet. Deus jussit afferri chartam, eamque, assignati puram, & mitti, stuperuibus sacerdotibus ad ejusmodi factum; ignorabant quippè conditionem codicillorum. Hos cum maxima admiratione Trajanus excepit, quòd ipse quoque puris tabellis cum Deo egisset. Tunc aliis codicillis conscriptis signatisq; consuluit, an

A Romam perpetrato bello rediturus esset; Vitem centurialem Deus ex muneribus in æde dicatis deferri jussit, divisamque in partes suario condi, ac proinde ferri. Exitus rei, obitu Trajani apparuit, ossibus Romam relatis. Nam fragmentis, specie reliquiarum, vitis argumento, casus futuri tempus ostensum est. *Macrob.lib.1. Saturn.cap.23.*

Præses Ciliciæ, improbus homo, cùm in comitatu suo nonnullos Epicureos haberet, qui præclara scilicet illa naturæ ratione succincti, oraculis illudunt; misit in manteum Mopsi tanquam in hosticum instructum exploratorem libertum. Is tabellam habebat consignatam, in qua id, quod quæreret, nullo conscio scriptum erat. Cùm iste de more pernoctasset in adyto, & sopitum esset, renunciavit postridie ejusdemodi somnium: visus est ei vir pulcher assistere, qui loqueretur tantùm, Nigrum neque quicquam prætereà; verùm extemplò digredi. Quod cùm plerique monstruosum, & perplexum videretur, præses obstupuit, adoravitque illud, ac refignata tabella monstravit rogatunculam inscriptam hanc: Candidum tibi an nigrum taurum immolabo? Unde & Epicurei pudore perfusi fuerunt, & ille rem divinam fecit, Mopsumque per totam vitam est

B veneratus. *Plut.de Oracul. defectu.*

Totila rex Gothorum, capta urbe Roma, D. Benedicti fama permotus, ut experimentum sumeret, an famam prophetici spiritus operibus adimpleret, uno ex comitibus (quem regia veste sua ornaverat) præmisso, ipse inter commilitones sequebatur. Prodierat in templi vestibulum Benedictus, magnanimum Regem humillimè exceptursus; cùm turba illi obvia sese in duas partes scindens, medium reliquit illum, qui superbo incessu Totilam simulabat. Sed vir Deo plenus, quem nunquam viderat, cognovit, & ad reliquum comitatum abire jusso, Totilæ oculis manuque indicatum evocavit, hortatusq; fuit, ut Deum timeat, sanctimoniam veneretur, justitiam sectetur. Prædixit, quòd Romam denuò caperet, & Siciliam in suam potestatem redigeret, & demùm nono anno regni sui victus, occumberet. His Benedicti suasionibus creditur Totilas deinceps se omnibus benignissimum demonstrasse. *Greg.l.2.Dial.c.15. & P.Diac.l.16.*

INTELLIGENDO.

☞ *Vide Tit. Oraculorum, & Prædict. quatenus rectè intelligantur.*

C Cùm Tarquinius Superbus Rom. rex, Jovis, Junonis, & Minervæ Templum, Sabino bello ab avo votum, in parte Tarpeii collis præcelsa, & scopulosa fundare vellet, humanum caput recenti tabo, ab iis qui in ima parte operabantur, est inventum. Tarquinius domesticos vates consuluit. Hi ad Hetruscos regem ablegarunt. Nec multum abfuit, ut qui ad id missi sunt, callida auguris percunctatione decepti, saltem necessitatem per inscitiam alio averterint. Sic enim vanitatis illius cultores persuasum habuere, ut nisi qui à Tarquinio venerant, ab auguris filio priùs moniti fuissent, ut quoquo modo à patre interrogati esset, in Tarpejo, aut in Tarpeii parte prodigium factum semper responderent, futurum fuisse, ut principatus, qui prodigio portenderetur, aliò callida senis stipulatione transferretur. Sed ubi Romanos capi non posse, Hetruscus vidit, tum sine alia ambage docuit, fore, ut ibi arx imperii, capitque rerum esset, ubi id ostentum apparuisset; ac jam inde locus ex Tarpejo Capitolium est dici cœptum. *Sab.l.6.En.2.*

Augustus circa Peruzam, sacrifico non litante, cùm augeri hostias imperasset, ac subita eruptione hostes omnem rei divinæ apparatum abstulissent, constitit inter Aruspices, quæ periculosa, & adversa sacrificanti denunciata essent, cuncta in ipsos

D recasura, qui exta haberent. Neque aliter evenit. *Svet.*

Gramus Danorum rex, cùm ab aruspicibus accepisset, auro tantùm Sictrugum Sveonum regem superari posse, ligneæ clavæ nexilem auri nodum adjecit, eaque regem occidit, regnum obtinuit, & Gro Sictrugi F. in uxorem duxit. *Saxo lib.* I.

INTERPRETANDO.

☞ *Consule Tit. Certamina Divinationum. Loco de Divinatione.*

Agesilaus Spartanorum rex, Aulide contra Persas cum classe profecturus, jussus est in somnis, utpotè Agamemnonis æmulus, Agamemnonia quoque victima deæ litare. Intelligebant alii, virginem esse immolandam: at ille cervam redimitam deæ magis placituram affirmavit. *Plut.in eius vita.*

Cùm oraculi monitu Alexander victoriæ causa eum, qui sibi porta egresso primus occurrisset, interficere constituisset, Asinarium fortè sibi obviam factum, ad mortem arripi imperavit: eoque quærente, quidnam se immerentem, & innocentem, capitali judicio addiceret, rex ad excusandum factum oraculi præceptum retulit. Ibi Asinarius: Si ita est (inquit) rex, alium sors huic morti destinavit; nam asellus quem ego ante E me agebam, prior tibi occurrit. Delectatus Alexander & illius tam callido dicto, & quòd ab errore ipse revocatus erat, occasionem in aliquanto viliori animali explandæ religionis rapuit. *Val.Max.l.7.c.3.*

Numa Pompilius Rom. rex, capitibus sacra facere jussus, Ceparum respondit, non hominum. *Plur.* De eadem re. *Ovidius in fastis eleganter.*

Quum Pop.Rom. pestilentia laboraret, essetque responsum, id accidere, quòd dii despiccerentur; anxia urbe, quòd non intelligeretur oraculum; evenit, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam superne despexerit, & matri narrarit, quo ordine arcana pilenti, quod vehiculi genus est, composita vidisset. Quare senatui nunciata, tunc placuit loca velis contegi, quà pompa sequeretur. Ac ita ex illo die peste sedata, puer qui ambiguitatem sortis absolverat, prætextæ gestandæ munus impetravit. *Polyd.l.6.c.11. de invent.*

DE OPERIBUS RELIGIOSIS. F

☞ *Consule Tit. Superstitionis fuga, quatenus superstitiosa opera, suo aliorumve recto iudicio reprobantur.*

Simeones ex vico Sisan oriundus, *auctore Theod.lectore l.1. suorum Collect.ancorum*, in monastica jam antè institutus, prope Antiochiam, super columna sibi bicubitale circumquaque struxit domicilium, sub Theodosio juniore. Quod cùm esset non tantùm quiddam insolens, sed & sine reliquorum consilio, aut approbatione susceptum, mittunt Monachi communi consensu quosdam, qui ipsius consilium exquirerent; mandarentque ipsorum verbis, ut descenderet, hac addita exploratione: Quòd si obsequendum ipsorum monitis futurus esset promptus, & facilis, relinquerent ipsum suo sibi arbitrio; haud dubiè enim ipsius consilium esse ex Deo. Sin verò difficilem, & pertinacem se esset exhibiturus, deturbarent illum vi, & violentia. Legati ergo cùm ad ipsum venissent, & vix suorum mandata exposuissent, jam sublato altero pede, ad descendendum erat paratissimus. Quod illi ubi senserunt, arbitrati sunt, ejus obediendi promptissimum animum satis posse esse indicio, à Deo G esse ipsius intentum. Quare ipsi gratulati, & benè precati, cursum quem cœperat feliciter, ut persequeretur, hortati sunt. Vixit in columnis minoribus annos septem. Deinde verò in columna quadraginta cubitorum, triginta annos vitam egit, & hinc Stilites dictus est. *Niceph.*

Convenerant apud Antonium eremitam fratres aliquot in Thebaidę eremo, & quæstione proposita, quænam virtus Christianum hominem in officiis pietatis rectè conservaret: alii aliter responderunt, quisque pro suo captu. Senserunt enim alii, id commodè jejuniis vigiliisque fieri, alii verò nuditate, & contemptu rerum externarum, alii etiam conducere, ad hoc vitam solitariam, quidam etiam id per charitatis officia erga hospites fieri posse censebant. Et cùm dissentirent inter se opinionibus partes, respondit tandem beatus Antonius, inquiens: Omnia quidem quæ dixisti, utilia sunt Christianis, sed his principalis gratia tribuenda non est, idque plurimorum fratrum casus confirmant, qui versantes in his observationibus, decepti sunt, eò quòd in bono, quod acceperant, modum & discrecionem non H tenuerunt. Constat, sine discretionis gratia, & modo, nullam perfici, vel diu stare virtutem posse. Addidit D. Antonius exemplum Heronis senis monachi, qui perpetuò intra cellam latitavit, & magna quadam severitate animi immutabilem jejunii continentiam exercuit, adeò etiam ut nec in die Paschæ rigorem abstinentiæ solveret. Tandem præumptione sua deceptus, semetipsum in profundissimum pureum præcipitavit persuasione satanæ, qui sese in Angeli cœlestis formam commutaverat, eique consuluerat, hanc esse voluntatem Dei, ut hoc modo suæ virtutis magnum meritum probaret, si inde illæsus exiret. Sed vix semivivus ex puteo cum ingenti omnium fratrum dolore extractus est, & triduo post vitam finivit, & id quod deterius est, ita in deceptionis suæ pertinacia remansit, ut nullis verbis sibi passus sit persuaderi, se satanæ callidtate fuisse delusum, Alius quidam monachus longo tempore diabolum in Angeli claritate suscepit, cum per omnes noctes in ejus cellula lumen absque ullius lucernæ officio præberet. Ad extremum jussit eum filium, qui cum eo pariter in eodem monasterio manebat, offerri victimam Deo, ut scilicet hoc sacrificio, Abrahæ patriarchæ meritis coæquaretur. Cujus persuasione ille seductus, hoc cœpit tentare, & sacrificasset filium, nisi per occasionem puer de cella ex ejus manibus elapsus, celeriter aufugisset. *Cassian.*

Jordanes Saxo, Ordinis prædicatorii Generalis, ut vocant inter-

A interrogatus à quodam, Oratene semper, an sacra legere, præstaret? An verò nescis, inquit, assidentem mensæ non modò comedere, sed alternis quoque bibere solere? Sic uni danda est opera, ne alterum negligat. *Leander Albertus lib.1. de Viris illust. Ord. Prædicatorum.*

Gregorius VI. Pontifex ditionem Ecclesiæ recuperavit, & latrones circa Urbem, quorum sævitia peregrini, ad urbem religionis causa accedentes, necabantur, è medio sustulit, priùs execrationibus, & interdictis admonitos, deinde vi, & armis domitos. Hanc ob rem ferunt à perniciosis hominibus vulgò homicidam, simoniacum, & sanguinis humani appetentissimum habitum, idque à Cardinalibus etiam quibusdam prædicari solitũ. Gregorius moriturus Cardinales ad se vocatos verbis castigavit, qui livore moti rectè facta reprehenderent: Et ut, inquit, scite possitis, ubi mortuus fuero, rectè an perperam fecerò, corpus meum ante fores Ecclesiæ sistite vectibus obseratas: si divino nutu aperientur, censetote me dignum Christianorum sepultura; sin secùs, corpus meum unà cum anima damnatum, quò volueritis, eiicitote. Fecere mandata Cardinales. Itaque portæ coorto gravi vento apertæ sunt, & corpus

B cum admiratione omnium, & opinione magnæ sanctitatis introlatum est. *Platina.*

Henricus rex Hungariæ, puer etiamnum, monachorum è D. Martini cœnobio sibi patrique obviam prodeuntium castitatem dijudicavit osculis disparibus. Pro continentiæ enim modo quibusdam duo, aliis tria, nonnullis quatuor, septena verò perpetuæ castitatis cultoribus dedit. *Bonfin.lib.1.Dec.2.*

☞ *Vide in Loco de Labore, Tit. Opera manibus exercenda.*

DE LIBRIS SACRIS.

Ajunt Hebræi, cùm inter cætera scripta Salomonis, quæ antiquata sunt, nec in memoria duraverunt, liber Ecclesiastes inscriptus cbliterandus videretur, eò quòd vanas asserat Dei creaturas, & voluerunt esse pro nihilo, & cibum & potum & delicias transeuntes præseferat omnibus; ex hoc uno capitulo meruisse auctoritatem, ut in divinorum voluminum numero putaretur, quòd totam disputationem suam, & omnem cataloguum suum, hac quasi αἰνιγματικῶς coarctaverit, & dixerit; Finem sermonum suorum auditu esse promptissimum, nec aliquid in se habere difficile, ut scilicet Deum timeamus, & ejus præcepta faciamus. *Hieron. in Eccles.cap.12.*

C Judith vidua Bethuliam civitatem suam obsidione Holophernis ducis Nabuchodonosoris liberavit, ut in ejus libro fusè narratur. Qui liber Chaldæo scriptus sermone, sicut Hieronymus inquit, minus auctoritatis habet ad ea roboranda, quæ in contentionem veniunt. Sed S.Nicænam Concilium inter sacrarum Scripturarum volumina & hunc librum cõputavit. *Beda in Temporibus* ait, Cambysem, Cyri majoris filium, ab Hebræis secundum Nabuchodonosorem vocati, & sub eo contigisse, quæ de Judith narrantur.

Initium S. Euangelii vigiliisque fieri, quidam Platonicus (sicut à sancto sene Simpliciano, qui posteà Mediolanensi Ecclesiæ præfedit Episcopus, solebamus audire) aureis litteris conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat. *Aug.l.10.de Civ.Dei, c.39.*

D. Augustinus post xx. ætatis annum perlectis Platonicorum quorundam libris, qui ea quæ à D. Jo.Euangelista in principio sui Euangelii tradunt, magna ex parte licèt verbis diversis continebant, plurimum inde lucis, & auctoritatis ad catholicas scripturas legendas, & intelligendas se percepisse, testatur *lib.7.Confess.cap.9.* hoc uno excepto, quòd Christum Je-

B sum non haberent, & veluti sylvestri cacumine patriam quidem pacis ostenderent, sed viam eò perveniendi ignorarent, iter demùm aliud, & periculosum, à latronibus, & dæmonibus obsessum, commonstrantes, *cap. ult. eiusdem lib.*

Jacobus Peres, qui in Psalmos longa commentaria scripsit non tam disserta, quàm de auctoribus Psalmorum, disputat, dicitque, hanc quæstionem ante Origenem non fuisse inter Judæos ambiguam. Omnes enim sic crediderunt, & sic prodidere, omnes Psalmos Davidis esse auctoris. Posteà verò quàm Origenes ingenio illo exacto, & eruditione varia summaque cœpit ostendere, quæcunque in Prophetis continebantur, ad Christum jam natum pertinere, multùm irritavit sceleratos, & obstinatos, & indurates Judæos etiam ad novas opiniones veteribus suorum magistrorum contrarias, depravandosque quantum possent codices sacros. Itaque post ea tempora fuisse ex Hebræis nonnullos, qui antiquis assenti, unicum Psalmorum omnium auctorem dicerent Davidem, alii noveni duntaxat eum fecisse, alii omnes, qui ipsius nomine præcribantur, cæteros à viris sanctis prophetico esse spiritu conscriptos, ut filiis Choræ, Asaph, Æthan, Idythum: qui sunt sine titulis, ignorari, quorum sint, nisi quòd à sanctis, hominibus non E dubitentur conscripti. Istis oppinationibus addidisse suam Rabbi Salomonem Gallum, hominem insigni impudentia, qui decem Psalmistas sit commentus, Melchisedech, Abraham, Mosen, filios Chore, David, Salomonem, Asaph, Idythum, Æthan. At Origenem, Ambrosium, Hilarium, Augustinum, Cassiodorum, unius David psalmos omnes opus esse tradere, quibus se ait suffragari, sententiamque hanc unicam veram esse, multis argumentis colligit. *L.Vives in l. 17. Aug. de Civ.Dei, cap.14.*

Theodorus, Abbas Cellanus in Palæstina, non studio librorum, sed pietate, Scripturarum cognitionem conciliari asseruit. *Cassian.*

Jo.Picus Mirandula, Pauli Epistolas oratorum omnium scriptionibus eloquentia præstare dicebat, Tullii & Demosthenis lucubrationes nominatim citans, non quòd essent, ut illæ, calamistris inustæ, & corasis undique fucis, & cincinnis constipatæ, sed quòd veram solidamque redolerent, & saperent eloquentiam, veris sententiis, vera arte suffultam, essentque Ægyptiorum opibus non consultò suffarcinatæ. Omnia porrò veteris legis eloquia, consumatissimæ scientiæ, & sapientiæ plena prædicabat. *Jo.Francin eius vita.*

P.Corn. Lentulo, M.Bedio Pamphilo Coss. in agro L.Petilii scribæ, dum cultores agri altiùs terram molirentur, libri Numæ de jure Pontificio, ac disciplina sapientiæ reperti, sunt. Primò ab amicis, qui in re præsenti fuerant, lecti libri, mox pluribus legentibus, cùm vulgarentur, Q.Petilius prætor urbanus, studiosus legendi, eos libros à L.Petilio sumpsit. Lectis rerum summis, cùm animadvertisset, pleraque ad dissolvendam religionem esse, L.Petilio dixit, sese eos libros in ignem conjectùrum esse: priùs quàm id faceret, se ei permittere, uti si quod jus sive auxilium habere se ad eos libros repetendos existimaret, experiretur. Scriba Tribunos pl. adiit, res à Tribunis ad Senatum rejecta est. Prætor ibi cùm se jusjurandum dare paratum esse diceret, libros eos legi servarique non oportere: Senatus censuit satis habendum, quòd Prætor jusjurandum pollicereturi; libros primo quoque tempore in Comitio cremandos esse; pretium pro libris, quantum Q. Petilio Prætori, majorique parti Tribunorum plebis videretur, domino esse solvendum. Id scriba non accepit. Libri in Comitio igne à victimariis in con- G spectu populi cremati sunt. *Livius Dec.4.l.10.*

Augustus Cæsar, postquam Pontificatum maximum suscepit, quidquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parùm idoneis auctoribus, vulgò ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit, ac solos retinuit Sybillinos, horum quoq; delectu habito, condiditq; duobus forulis auratis, sub Palatini Apollinis basi. *Svet.*

DE QUÆSTIONIBUS SACRIS.

Venturinus Bergomensis, quem Dominicani pro Divo colunt, cum suis concionibus supra xxx. peregrinorum millia Bergomo Romam perduxisset, clam is discedens, cùm Mantuam pervenisset, æmuli quidam, ut sanctitatis opinionem ignorantiæ macula aspergerent, coram Principe, convocatis eò jurecoss. & philosophis, quæstionem ei ex improviso talem proposuere explicandam, An diabolus in primo suæ creationis instanti peccasset? Neque verò ille aculeo problematis veluti compunctus abjecit animum: Eremita quidam, inquit, cùm in H sacris legisset, Melchisedechum sacerdotem sine patre, & matre fuisse, eundem verò uti hominem parentes habuisse, lectione primùm commentariorum, mox etiam precibus ad Deum dubii hujus solutionem nequicquam flagitavit. Accessit ad eum senior quidam, & anxietate viri perspecta: An verò nos ait, propter Christum parentes, & omnia reliquimus, ut inanibus, & frivolis quæstionibus nos exerceamus? an tantum nobis à virtutis, & pietatis exercitio otii superest, ut anilia & ludicra problemata persequamur? Et vos quoque, qui non in disputando, sed in agendo, religionis sinceritatem positam nostis, omissa inani quæstione, in quonam instanti diabolus peccarit, id potiùs cavete, ne quando illum per ambitionem & invidiam peccasse constat, illius imitatores sitis. *Leander Alb.l.5.Virorum illustr. Ordinis Prædicatorum.*

DE REBUS SACRIS.

Palæstini, cùm capta Dei Israelitarum arca, & dysenteria & muribus crudelissimè vexarentur, quamcumque in civitatem arcam deportassent; consilium ceperunt de arca Israelitis remittenda (*consule Tit. Pœna profanatorum sacrorum*) quam si vaccæ duæ nullo adhibito custode rectà Bethsamem in terram

A Israelitarum veherent, in dicio fore, ab eorum Deo se tantis malis affectos: sin minùs, casu hæc sibi accidere, non Dei ira. Vacæ igitur, insequentibus Palæstinorum proceribus, arcam rectâ Bethsamen pertraxerunt. Inde Gabaam missa est. *Lib.1. Reg.6.*

David rex, arcam Dei, quæ viginti annis Gabaæ in domo Abinadab manserat, in urbem suam Jerosolymam vehendam curavit. At cùm Osa Abinadab F. propter tactam manu arcam (cùm propter boum, qui eam ducebant, agitationem nutasset) subitò mortuus concidisset, veritus David tantam Numinis severitatem, arcam ad se admittere non fuit ausus; sed in ædes Obededom Gethani intulit, ubi illa tres menses fuit. Cæterùm cùm Dominus Obededom ejusque domum propter arcæ hospitium divitiis, & fœtura beasset, David animo recepto eam cum solemni pompa Jerosolymam intulit. *2.Reg.6.*

Cùm Helena Magni Constantini mater cruces tres Jerosolymis sub terra reperisset, nec quænam Christi servatoris fuisset, scire posset: Macarii Episcopi consilio, producitur mulier ægra, cui ex ordine tres imponuntur cruces, orante interim Macario. Cùm Dominica crux ei adhiberetur, confestim convaluit, & lectulo exurgens ambulavit. Quinetiam mortuo B postea imposita crux eadem, eum sanitati restituit. *Niceph. lib.8.cap.29.*

Leo IX. Ratisponam transiens, cum Imperatore Henrico III. reliquias beati Dionysii martyris (de quibus diu dubitatum erat, an ibi haberentur) præsentibus Parisiorum legatis perspexit, ibique teneri probavit. Sanctum quoque Uvolfgangum, ejusdem urbis Episcopum, de tumulo levavit. *Crantz. lib.4.Metrop.cap.35.*

JUDICIUM METAPHYSICUM INEPTUM.

☞ *Consule Tit. Hæreticorum, quorum ut aliqui ex improbitate, plerique tamen ex ignorantia, & perversa Scripturarum intelligentia, a societate ecclesiastica (ipsos separant. Superfluitionis quinetiam locus multa suggeret exempla eorum, qui Deo debitum honorem ad creaturas transtulere.*

DE DEO ET CHRISTO.

Contra Judæos scripsit Petrus Alfonsus Hispanus Judæus, C ad Christianismum conversus, sæculo XII. post Christi incarnationem, eorumque stupendos errores pulchrè confutavit. Dicunt Judæi, Deum habere caput, & brachia, in cæsarie pyxidem gestate ligatam corrigia, ipsiusque corrigiæ nodum à postera capitis parte sub cerebro firmatum; intra pyxidem verò quatuor esse chartulas Judæorum laudes continentes: in summo autem sinistri brachii gestare aliam pyxidem, simili modo corrigia ligatam, chartamque ibi esse continentem omnes lauces, quæ in prædictis quatuor scriptæ dicuntur. Testimonia hæc proferunt: Videbis posteriora mea, facies enim mea non videbitur. Tunc enim Moyses nodum corrigiæ vidit: Nodum autem ipsum alicujus pyxidis esse, necessarium est. De ea autem quam gestat in brachio; auctoritas profertur ab Esaja dicente: Juravit Dominus in dextra sua, in brachio fortitudinis suæ. Per brachium enim fortitudinis vult intelligi sinistram, in qua illa pyxidis virtus continetur. In doctrinæ libro asserunt, quòd Deus in Occidente est tantùm; auctoritate Esdræ illud confirmantes, dicentis: Exercitus cœli supplicat tibi; exponentes hoc quòd cùm omnes stellæ in Occidentem decidant, tunc exerci- D tus cœli supplicat Deo, & quoniam hæc stellarum supplicatio fit in Occidente, ideò Deum in Occidente asserunt esse. Dicunt eum singulis diebus, semel in die irasci, de tali re, ob quam se non possit ulcisci, afferentes in medium testimonium David dicentis: Fortis irascitur quotidie. Prima etiam hora diei eum irasci asserunt; causam hujus iræ esse dicentes, quòd in illa hora reges iniquitatis exurgentes, diademata sibi imponunt, & solem adorant. Tum etiam quotidie semel in die plorare, & ab ejus oculis duas prodeuntes lacrymas, in magnum mare dicunt concidere; & has fulgorem esse affirmant illum, qui tempore nocturno de stellis videtur cadere. Fletus causam, Judæorum captivitatem esse dicunt; quinetiam propter dolorem eum ter in die ut leonem rugire asserunt, & propter id cœlum pulsare pedibus, more calcantium in torculari; more etiam columbæ quendam susurri sonitum dare, & quæque vice caput movere, & dolentis dicere voce: Heu mihi, heu mihi! ut quid domum meam in desertum redegi, & templum meum cremavi, & filios meos in gentes transtuli? Præterea quòd tanquam parturicus invicem collidat pedes, & more dolentis manibus plaudat, & quotidie oret, ut misericordia ejus sit super iram ejus. Dicunt Judæi, circa Vespasiani tempora suum Christum natum, & Romam, nescio qua arte, translatum. Ibi eum à ca- E nibus dilaceratum, & corrosum, in cryptis subterraneis latere, indeque dictum esse: Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Victurum autem, & hos dolores in illis terræ visceribus toleraturum, donec disposito à Deo tempore inde exeat, & Judæos de universis gentibus congregans, ad primum suæ repromissionis terræ locum reducat. Omnes animas in mundi principio simul asserunt esse creatas, & in loco uno repositas, & quousque incorporentur omnes, non esse diem venturum judicii. Docent, quòd quando Deus Firmamentum fecit, magnum foramen in Septentrionali parte imperfectum reliquit, ut si quando aliquis exurgens, Deum se esse diceret, Deus illi jam dictam Firmamenti imperfectionem obiceret, dicens: Si Deus es ut ego, fac saltem ex parte quod feci & ego.

Thalmudistis Deus semel quotidie irascitur, quum galli crista expallescit, quia legitur apud Job, Quis dedit gallo intelligentiam? Quotidie aliquid legit in Thalmud, nempè primis quatuor horis diei. Quum Jerosolymis templum fuit eversum, non remanserunt Deo nisi tres cubiti soli, aut quatuor, ubi sederet lecturus in Thalmudo. Quinetiam Deum dicunt F peccasse, quòd Lunam minorem fecit sole. Lunam quoque fecisse calumniam de sole ad Deum detulisse, unde sit lumine diminuta. Adamum geminæ fuisse naturæ ajunt, & rem habuisse cum omnibus animantibus; quòd verò nullum esset ingenio suo satis aptum, creatam esse fœminam. *Lud. Vives de veritate fidei lib.3.*

Thalthybius præco Græcorum, offendens Hecubam reginam præ mœrore inpulvere abjectam, *apud Eurip. in Hecuba*, in hæc verba impia prorumpit:

Ὦ Ζεῦ, τί λέξω, πότερα σ' ἀθρόνοις ὁρᾶν,
Ἢ δόξαν ἄκρως τιμῶν κενὴν ματαίως,
Ψυχὴν δοκοῦντας δικαίων ἢ τῶν;
Τύχῃν δ' πάντα τοῦ βροτοῦς ὁπηδεῖν.

O Jupiter, quid dicam? utrum te homines respicere? aut opinionem aliàs hanc habere frustra, falsò qui existimant deorum esse genus? fortunam verò omnia, quæ apud mortales fiunt, administrare?

Ulysses, cum vellet ipsum loco xenii Polyphemus mactare ad Jovem conversus, sic ait, *apud Eurip. in Cyclope:*

Ζεῦ ξενί' ἦρα τάδε, εἰ τῷδ' αὐτὰ μὴ βλέπεις: G
Κόλπος νομίζω ζῶν, τὸ μηδὲν ἂν θεός.

Jupiter, hospitalia hæc vides, si enim hæc non videris, frustra crederis Jupiter, nihil existens Deus.

Providentiam multos negare ex infelicitate bonorum, & prosperitate malorum, *Ovid. 3. amorum 8.* his verbis, sub sua persona impiè affirmat:

Dum raptant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.
Vive pius, moriere pius, cole sacra, colentem
Mors gravis a templis in cava busta trahet.

Impium de Diis judicium sui temporis hominum, *Juvenalis sat.13.* sic perstringit:

Sunt qui in fortunæ casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moveri,
Natura volvente vices, & lucis, & anni:
Atque ideo intrepidi quicunque altaria tangunt:
Et alius metuens, ne crimen pœna sequatur,
Hic putat esse deos, & pecet, atque ita secum:
Decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis & irato feriat mea lumina sistro, H
Dummodo vel cœcus teneam, quos abnego, nummos.

Cùm in convivio quodam Bononiæ, mira arte gallus assatus dissectus fuisset, unus convivarum dixit, D. Petro hunc gallum in integrum restituere impossibile esse; alius verò: Nec ipse Christus id præstare posset. Ad has voces statim gallus ille prosiliit, & alis collisis jusculum in discumbentium ora diffudit. Blasphemi lepra statim hereditaria puniti sunt. *Vincentius lib.25. cap.64.*

DE DIIS ETHNICORUM.

Tyrii, audito viso, quòd quidam in urbe apparens narrarit, Apollinem dicisse, Tyriam urbem sibi deserendam esse, catenis aureis Apollinis signo injectis, Deum in urbe retinere sunt conati. At capta urbe, Apollini catenas, & compedes à Tyriis injectas Alexander detraxit, atque Philalexandrum appellari jussit. Herculi munificentissimum sacrificium peregit. *Diod. lib.17.*

Gothi olim deos sibi adversos, diversis armorum generibus contra cœlum extensis, & emissis, putabant se terrere posse, & minis cogere. *Olaus magnus lib.3. cap.9.*

DE

A DE CULTU DEORUM.

Ut Hebræi narrant, postquam urbs à Chaldæis capta est templumque refectum, Ammonitæ & Moabitæ ingressi templum, viderunt Cherubin protegentia Propitiatorium, & dixerunt: Sicut cunctæ gentes colunt simulacra, ita & Juda habet suæ religionis idola; & idcircò iratus est eis Dominus, & tradidit eos captivitati. *Hier.lib.8.in Ezech. cap.25.*

Termes Trismegistus in Asclepio; alios deos dicit à summo Deo factos, alios ab hominibus; & pòst inquit: Quoniam proavi nostri (de Ægyptiis loquitur) multùm errabant, circa deorum rationem increduli, & non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, invenerunt artem, qua efficerent deos. Cui inventæ adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem, eamque miscentes, quoniam animas facere non poterant, evocantes animas dæmonum, vel angelorum, eas indiderunt imaginibus sanctis divinisque mysteriis, per quas idola, & benefaciendi, & malè, vires haberent. *D. August. lib.8. de Civ. Dei, cap.24.*

B DE INFERNO.

Lucretii Epicuræi pervulgata est impietas, sed utinam absque imitatione. Is *lib. 3.* sic scribit,

— post mortem denique nostram
Num quid ibi horribile apparet? num triste videtur
Quidquam? nonne omni somno securius extat?
Atque ea animirum quæcunque Acheronte profundo
Prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis:
Nec miser impendens magnum timet aere saxum
Tantalus, ut fama est, cassa formidine torpens:
Sed magis in vita divum metus urget inanis
Mortales, casumque timent, quem cuique ferat sors.
Nec Tatyon volucres ineunt Acheronte iacentem,
Sed Tytius nobis hic est, in amore iacentem
Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor,
Aut alia quavis scindunt torpedine curæ.

Juvenalis sat. 2. Hominum atheorum de pœnis inferorum opinionem his verbis exprimit:

Esse aliquos Manes, & subterranea regna,
Esse orcum, & Stygio ranas in gurgite nigras, C
Atque una transire vadum tot millia cymba.
Nec pueri credunt, nisi qui nondum æra lavantur.
Sed tu vera puta. Curus quid sentit, & ambo
Scipiadæ; quid Fabricius, manesque Camilli?
Quid Cremeræ legio, & cannis consumpta juventus,
Tot bellorum animæ?

DE RELIGIONIS VERITATE.

Henricus Leo, Saxoniæ, & Bavariæ dux, Jerosolyma redibat Constantinopolim. In loco qui dicitur Axatar, occurrit ei Soldanus Turcarum princeps, amplexans & deosculans ducem suumque appellans consanguineum, gratulatus incolumem ad se pervenisse. Percontatur dux, quid se suum dignetur vocitare consanguineum, hominem de terra longinqua? Tum ille, Princeps Rufforum, olim accepta Teutonica conjuge, filiam procreavit, quam in has terras nuptam dedit, unde mihi origo est. Placuit duci undecunque traducta cognatio. Omnes ille Teutonicos principes unius esse stirpis ducebat. Dedit autem duci dona plurima, tunicam auratam eo pretio, ut dux non D suo corpori, sed divino cogitaret aptare ministerio. Jussit adduci equos mille octingentos, militibusque permisit Henrici, ut quisque suo ordine, quem magis probaret, tolleret. Accepit quisque suum. Inde producti caballi triginta insignes dono ducis, sellis, phaleris, frænis auratis pro magnificentia singulari. Addidit domos sex (de more gentis) filtrinas, & sex camelos qui ferrent, cum servis qui bestias gubernarent: addidit duos leopardos, & equos, & servos; docti enim erant leopardi in equis vectari. Quumque modis omnibus benignissimè, & humanissimè cum duce ageret, ille familiaritate fretus sumpsit audaciam: Miror (inquiens) prudentem principem non sectari veram Christi religionem, pietate & virtute plenam, quæ si tibi soli adesset, omnium quos viderim principum faceret felicissimum. Ille sub hæc: Non est (ait) difficile credere, quòd Deus, quando voluit, de immaculata Virgine carnem assumpsit qui hominem primum de terra virgine plasmavit; sed omnium communis Dominus non uno voluit ab omnibus honorari cultu. *Crantz. lib.6. Sax. cap.33.*

Matthias Corvinus, & Georgius Poggiebrachius, ille Hungarorum, hic Boemorum rex, morionum suorum singulari certamini religionis veritatem examinandam commisere, ut fides partis victricis verior, & sanctior haberetur. Vicit au- E tem Hungarus Boemum. *Bonfin. lib.2. Dec.4.*

DE SPIRITUUM

Restitutione.

Origenes, ipsum diabolum atque angelos ejus post graviora pro meritis, & diuturniora supplicia, ex illis cruciatibus eruendos, atque sociandos sanctis Angelis credidit. *August. lib.21. de Civ. Dei, cap.17.*

Apparitione. SPIRITUS non rectè explorare.

☞ *Pete ex Titulo superiori de operibus religiosis, ex Cassiano.*

Narrat Cassianus Monachus, quendam Mesopotamenum, qui annos multos clausus vixerat, continentiæ cæterarumque virtutum fama supra omnes insignis, sub angeli forma à diabolo deceptum, ita ut ad Judaismum declinarit, & circumcisionem acceperit. Etenim multis illius non falsis revelationibus, & coram se coruscantis luce delinitus, firmissimè credidit, ipsum esse cœli, non tenebrarum spiritum. Ubi hoc persuasum est, illo tandem monstrante videre sibi videbatur, Apostolos martyresque, & omnem prorsus Christianum cœtum, tristes abjectosque in locis miseriæ, ac perditionis esse; contrà verò Judaicum populum, cum Patriarchis, & Prophetis ingenti lumine fulgere, & altè sidereis in sedibus lætos, ac gestientes versari. His præstigiis illectus, corruit in errorem. *Marul. l.3.c.7.* F

DE BEATITUDINE AUT DAMNATIONE.

☞ *Ex Tit. Judicii rectè de Beatitudine, quadam huc accommodari possunt.*

DE DOCTRINA ET SCRIPTIS.

Asinius Pollio bellum gessit cum Illyriis. Quo verò tempore cepit Salonas illorum urbem, natus est ei filius, quem idcò Saloninum appellavit. Virgilius, dùm in vetibus Sybillinis legisset, nasciturum per illa tempora admirabilem quemdam puerum, qui orbem renovaret, vaticinium accommodavit puero *in 4. Ecloga*; nam ex aliis gentibus non arbitrabatur futurum, propter magnitudinem imperii Romani. Sed puer tenera ætate mortuus est. Alterum autem Asinius habuit filium, hæredem familiæ, qui est Asinius Gallus. *Ludov. Vives in Eclogam 4. Virgilii.*

Galenus *lib.2. de Diff. pul. f. cap.4.* Moysis & Christi scholam reprehendit, quòd supponant multa, nihil probent. Et Averroes G passim Legem Rationi opponit, & Dicentes eos appellat, qui ea, quæ rationis captum superant, docent.

Manuel Comnenus Constantinopoleos Imperator, sub vitæ finem, anathema in Mahometi deum, Holosphyron, nec gignentem filiicet, nec genitum, catecheticis tabulis inter cæteras sanctiones inscriptum, passim aboleri & excindi, & à magnæ Ecclesiæ tabula initium fieri voluit; hunc prætextum adferens, Agarenos blasphemiis ejusmodi in suum Deum magis magique irritari, & offendi, & longius à pia religione recedere. Insuper edictum suaptè auctoritate, & aulicorum ministerio, repugnantibus sacerdotibus, proposuit, quo & Mahometi delirium defendebatur, & superiores Imperatores sacrorumque Antistites apertè taxabantur, qui Deum verum inerudite, & inconsideratè anathemate notari passi essent. *Nicetas lib.7.*

DE OPERIBUS.

Svidas & Niceph. l.5.c.32. asserunt, Origenem in persecutione sub Decio ductum esse ad aram, ad quam impurissimus simul Æthiops constitutus esset, optionemque ei datam, ut aut sacrificaret, aut corpus suum Æthiopi contaminandum præbe- H ret. Tunc Origenem sacrificare potius, quàm castitatem amittere maluisse. Pro qua impietate ab Ecclesia posteà excommunicatus, Alexandria relicta, in Judæam venit.

Malachias, qui posteà Hyberniæ Archiepiscopus factus est, in Diaconatu mortuos summo studio sepeliebat. Reprehensus idcircò à Sodore, Quid ageret sineret mortuos sepelire suos mortuos. Verba quidem Christi profers, respondit, sed Christi mentem non intelligis. *D. Bernard. eius vit. descript.*

In Basiliensi Concilio Ludovicus Pontanus, Jureconsultorum sui temporis facilè princeps, ab Apostolis exemplum non non sumendum esse contendebat, quòd facta eorum miranda essent magis, quàm imitanda. Quam vocem alii, ut impiam, alii ut ineptam magnoperè reprehenderunt. *Æneas Syl. lib.1. Basiliensi concilii.*

DE ORACULIS ET PRÆDICTIONIBUS.

Oracula

non rectè intellecta. De

Religione Mutanda Vel Retinenda.

Rom. olim velabant loca, quâ veheretur pompa sacrorum.

A Causam tradit Vertius Flaccus, *apud Macrob. lib. I. Saturn. cap. 6.* qui scribit, quum P. R. pestilentia laboraret, essetque responsum, id accidere, quòd dii despicerentur, anxiam urbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum, evenisseque, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam supernè despexerit, & matri narrarit, quo ordine Arcana pilenti, quod vehiculi genus est, composita vidisset. Qua re senatui nunciata, tunc placuit loca velis contegi, quà pompa sequeretur. Ac ita ex illo peste sedata, puer qui ambiguitatem sortis absolverat, prætextæ gestandæ munus impetravit. Ambiguitas autem fuit in verbo, Despiceretur; nam interpretabantur, deos & cæremonias negligi, quum tamen oraculum intelligi vellet, deos deorsum versum aspici; quod nefas erat, & ad pollutionem sacrorum pertinebat. *Polyd. lib. 6. cap. 11. de Rerum invent.*

Sanitate Recuperata.

Parmeniscus Metapontinus, cùm in Trophonii lucum descendisset, ac ascendisset posteà, non ampliùs ridere poterat.
B Percontanti ea de re oraculum, responsum fuit:

De risu percontaris me difficilis vir?
Ipsa tibi mater dabit, hanc venerare reversus.

Cùm speraret igitur, si reversus esset in patriam, quòd risurus foret, at nihilo ampliùs rideret; existimans se deceptum esse, fortè venit in Delum, ad Latonæ imaginem. Atque cùm existimaret, matris Apollinis statuam aliquam esse eximiam, ubi eam ligneam, ac deformem vidit, præter opinionem risit, ægritudineque liberatus, magnificè Deam honoribus condecoravit. *Athen. lib. 24. cap. 2.*

Morte.

Hesiodo poetæ datum fuerat oraculum, ut Nemæi Jovis templum fugeret. Cùm ergo Nemæam Peloponnesi fugeret, fortè in Oenomen Locridis pervenit, ubi Nemæi Jovis templum fuerat. Eo in loco incautus ab Amphiphano, & Ganetore Physigei liberis, interemptus est, quòd ab eo vitiatam sororem Cremenem crederent, & ex eo stupro natum esse Stesichorum. *Thucyd. apud Gyrald. Dial. 2. hist. Poet.*

Epaminondas Thebanus acceperat ex Delphici Apollinis oraculo, pelagus sibi cavendum. Quare fuit illi præcipua cautio, ne aut triremibus, aut oneraria unquam navi veheretur. At præmonuerat Deus, non mare, sed saltum eum devitandum ad Mantineam, cui Pelagus nomen, ubi occubuit. *Pausanias in Arcad. & Svidas.*

Cambysi Persarum regi oraculum Latonæ ex urbe Buti datum erat, eum in Ecbatanis vita excessurum. Intelligebat ille Ecbatana Mediæ. At cùm in Syria ageret, post interfectum Ægyptiorum deum Apim, equum conscensurus, gladius vagina nudatus, in femore regem vulneravit. Metu & dolore territus, Quod nomen vicina urbs haberet? rogavit. Ubi Ecbatana esse cognovit, errorem suum agnoscens, desperabundus obiit. *Herodot. lib. 3.*

Lysander, qui in totum ignorabat collem Archelidem, & Alopocum, quem vocant, & Hopolitem amnem,

Terrigenumque dolo sequitur qui terga, draconem:

in prælio profligatus iis locis, & cæsus fuit ab Inachione cive Haliarto, cujus clypeus insigne habebat anguem. *Plut. de Pythiæ oraculis.*

D Philippo Macedoniæ regi mortem Pythia prædixit:

Taurus adest, & finis adest, feriet que minister.

Et Græcis pariter:

O utinam fierem Iovis ales in æthere, iuxta
Thermodoontis aquas, procul ut bella horrida ab alto
Despicerem. Victus fiet, at hic, qui vicit, obivit.

Anceps hoc dictum Philippus in rem suam interpretatus est, veluti ab oraculo prædiceretur, Persam victimæ instar mactatum iri. Sed contrarium significabatur: Philippum scilicet in hominum conventu, inter ipsa deorum sacrificia, uti coronatum tantùm interfici debere. Lætus proinde agebat, deos sibi auxiliares, ad Asiam in servitutem Macedoniæ trahendam, fore existimans. Cùm ampla sacrificia in deorum honorem pertageret, & Cleopatræ ex Olympiade uxore filiæ, Alexandro Epirotarum regi Olympiadis fratri desponsatæ, nuptias Ægis Macedoniæ urbe celebrare instituisset, atque plures ex tota Græcia ad geniale convivium convenirent, magnificentissima certamina musica, & convivia ad amicos, & hospites accipiendos lautissima faceret, in mediis sacris alba indutus veste, à Pausania uno ex stipatoribus cæsus est, ad Thermodoonta fluvium, ad Chæroneam, ubi paulò antè contra Græcos insigni victoria potitus fuerat. Indignè autem ferebat Pausanias, quòd de illato sibi stupro ab Attalo Olympiadis nepote questus, à rege insuper irrisus fuisset. *Diod. lib. 16. & Pausanias in Archad.*

Idem cùm consuluisset Delphicum oraculum, quid evitandum sibi esset, quo ad justam perveniret senectutem; Pythia Quadrigas vitare jussit. Quo audito, toto regno suo cùm omnes quadrigas amoveri jussisset, locumque in Bœotia, qui Quadriga vocatur, non audire veller, demùm à Pausania, qui quadrigam in capulo gladii cælatam habebat, occisus est. *Val. Max. lib. 1. cap. 8. & Cic. de Fato, Plut. in Alexandro.* Alii dicunt, cùm circuiret Thebaicam paludem, cui Currus nomen erat trucidatum fuisse. *Ælian. de Var. hist. lib. 3.*

Æschylus tragicus Atheniensis oraculo acceperat, ex ictu desuper sibi pereundum esse. In Sicilia igitur exul, tecta vitabat, ne ruina illorum opprimeretur. Accidit, ut ruri saxo insideret, capite detecto. Quod cùm sublimè volans aquila, Mortephnos dicta (cui testudines raptas frangere peculiare est) calvitii nitore elusa, saxum esse putaret, testudinem marinam ei illisit. Eo ictu Æschylus periit. *Val. Max. l. 9. cap. 12. & Gell. lib. 17. cap. 22. & Plin. lib. 10. cap. 3.*

Daphitas Telmessensis sophista, cùm Delphicum oraculum ironicè consuluisset, An equum invenire posset, quo veheretur? Oraculum posse quidem equum invenire, respondit, sed ut eo deturbatus periret. Nec multò post ab Attalo rege quem graviter olim offenderat, de saxo, cui Equi nomen erat, præcipitatus est. *Cic. de Fato, & Val. Max. lib. 1. cap. de Miraculis. Strabo in 14. lib. Georg.* & ipse narrat, Daphitam, qui reges versibus læserat, ab ipsis pœna affectum fuisse, in crucemque actum eo ipso in loco, quem anteà oraculum ipsi editum ostenderat: montem autem eum fuisse, qui vocatur Thorax, cum responsum esset, ut Thoracem caveret. *Victor. lib. 22. Var. lect. cap. 18.*

Cùm responsum à diis accepisset Dionysius major, tunc moriturum, cùm meliores superasset; ipse in eum sensum accipiebat oraculum, ut referret ad Carthaginenses, eos se meliores fortioresque esse arbitratus. Quamobrem sæpè etiam habito cum iis conflictu, si res ad victoriam spectare videretur,
C subterfugere solebat, & ultrò vinci, ne fortioribus superior fuisse videretur. Verùm cùm esset parùm bonus poeta, in festo Bacchanaliium, vicisse meliores poetas Athenienssium suffragiis judicatus, vino nimium hausto, in gratulatoriis sacris periit. *Diod. lib. 15.*

Alexander Epiri rex, Dodonei oraculi sortibus jussus erat Acherusiam cavere, Pandosiamque urbem. Ergo ut procul esset à Pandosia Epiri urbe, & Acheronte ejusdem fluvio, in Italiam transmisit maturiùs, accitus à Tarentinis. Ibi vicit sæpè acie Brutios, & Lucanos, cepitque non paucas eorum urbes. Tribus autem haud procul Pandosia urbe tumulis ad Lucanos, & Brutios fines infestandos communitis, utque inde quaque versum hostes premeret; assidui imbres adeò interjacentibus campis inundavere, ut exercitu tripartiam intercluso, nulli alii ferre auxilium possent. Ea occasione hostes duo præsidia expugnant, & ducem ipsum magna copiarum parte exutum obsidione cingunt. Rex ipse per medios hostes cum delecta
H manu erumpit, ducemque Lucanorum cominùs congressum obtruncat, contrahensque suos in unum denso globo ad amnem pervenit, cujus pontem vis aquarum non multò anteà discusserat. Hic quum incerto vado transitum meditaretur, miles labore fessus nomen fluminis, regi abominandum, fortè protulit, Jure, inclamans, Acheron nominaris. Quæ vox auribus excepta, ingentem regi dubitationem injecit, an fluvium transiret. Eum ita cunctantem Sotinius minister admonet, Lucanos quærere locum insidiis. Quos ubi ille respiciens in se ruere animadvertit, exerto gladio in fluvium desiluit. Jam equus eum in adversa ripa statuerat, quum Lucanorum unus veruto transfixit. *Strabo lib. 6. & Sab. lib. 4. En. 4.*

Oraculum ex Jovis Ammonis fano vetus, de Annibalis clarissimi Carthaginensium ducis exitu, fuit:

Libyssa corpus Annibal teget tuum.

Annibal ergo Africam suspicabatur, & sepulturam Carthagine, quasi vitam illic transacturus. Est autem locus Bithyniæ fabulosus juxta mare, nec procul exiguus vicus, Libyssa dicitur: ibi fortè agebat Annibal exul, qui, quòd Prusiæ regis semper suspectam molitiem haberet, horreret Romanos, septem exitibus subterraneis, jam antè domum ex tabernaculo suo aperuerat, alio aliis cuniculis, omnibus procul tamen occultè se efferentibus. Ut igitur præceptum T. Quintii Flamii

A nii legati Romani, Annibalem sibi dedi à rege postulantis, accepit, tentavit per cuniculos fugam: verùm cùm in custodias regni incidisset, statuit mortem sibi ipsi consciscere. Nonnulli referunt, pallio cum collum obvolvisse, jussisseque servo, ut insixo clunibus genu validèque impresso, stringeret id, & contorqueret, quoad eliso spiritu necasset se. Alii eum Themistoclis & Midæ exemplo sanguinem taurinum hausisse. *Livius lib. 8. Decad. 4.* venenum tradit eum, quòd penes se habebat, miscuisse, sumptoque calice dixisse: Liberemus tandem diuturna cura populum Romanum, quando mortem invidiosi senis expectare, longum & grave censuit. *Plut. in Flaminio.*

Appius Claudius Achajæ præfectus, bello civili Cn. Pompeji & Cæsaris, antistitem Delphicæ cortinæ in intimam sacri specus partem coegit descendere: unde ut certæ consulentibus sortes perantur: ita nimius divini spiritus haustus reddentibus pestifer extitit. Igitur impulsu capti numinis instincta virgo, horrendo sono vocis, Appio inter obscuras verborum ambages fata cecinit. Nihil (inquit) ad te hoc Romanæ bellum, Eubœæ cellam obtinebis. At is ratus consilius se Apollinis moneri, ne illi discrimini interesset, in eam regionem secessit, quæ inter Rhamnunta, nobilem Attici soli partem, Caristumque Chalcidico freto vicinam, interjacens, cellæ Eubœæ
B nomen obtinet: ubi ante Pharsalicum certamen morbo consumptus, prædictum à deo locum sepultura possedit. *Val. Max. lib. 1. cap. 8.*

Judas Settensis, Essenus, cùm prævidisset diem, locumque in quo Aristobuli Judæorum regis frater Antigonus occidi debebat, & eo die prætergredientem templum videret, sciretque discipulis à se significatum, eo die Antigonum interfectum iri in Stratonis turri (quæ plusquam sexaginta stadia à Hierosolymis aberat) addubitare cœpit, quorsum ea res evasura esset. Interim nunciatur, in regia Hierosolymis locum esse, quæ Stratonis turris nominabatur, & ibi Antigonum interfectum esse. *Josephus lib. 13. cap. 16. Antiq.*

Vidit in somnis Valens Cæsar hominem quendam sibi hæc verba dicentem:

Magnum ad Mimantem vade festinus, te ibi
Extinguet horrentem gravis fati impetus.

Somno expertrectus, astantes quæsivit, quisnam Mimas vo-
C caretur locus? Et cùm tandem ex Grammaticis quispiam dixisset, Esse Asiæ montem Mimanta, cujus & in Odyssea Homerus meminisset: ridens Imperator suscepit, Quæ me urget necessitas hunc visendi, & fatum quærendi? Sed cùm contra Gothos pugnans, in tugurìolo circa Hadrianopolim Thraciæ exustus esset, abeuntibus illinc Barbaris, miltes Valentis cadaver quæsiverunt, & ibi inventum est antiquum sepulchrum cum hac inscriptione: Præfectus Macedonum Mimas hic situs est. *Cuspinian.*

Heraclius Imperator, cum ei Stephanus philosophus astrologus mortem ex aqua prædixisset, cisternas terra congesta omnes oppleverat. At hydrope tandem periit. *Cedren.*

Michael Comnenus Palæologus Imp. cardiaca laborans, fertur eos, qui adessent, percontatus esse: Quo nomine locus ille vocaretur? Cùm Pachomii & Allages nomen audisset, cum alto suspirio dixit: Hic sibi finem instare, seipsum graviter accusans, quòd non ita pridem, honestum quendam virum, nomine Pachomium, excæcasset, propterea quòd vulgi voce ferebatur, Imperatori Pachomium extitiam fore. *Gregoras lib. 6.*

D Zenon Imp. post cladem suorum, in castellum, quòd populares Constantinopolim vocabant, in tumulo situm, confugit. Vates constanter affirmarunt, cum Julio mense Constantinopoli futurum. *Svidas.*

Friderico II. Imp. quidam ariolus prædixerat, moriturum eum in Florentino. Ergo in postrema illa è Thuscia in Apuliam profectione, omni studio agrum Florentinum vitabat. At cùm febri graviter decumberet in arce Apuliæ, sex milibus passuum distante à Luceria (Florentinum vocant) intellexit finem vitæ sibi adesse. *Collenutius lib. 4. historiæ regni Neapolitani, & Matth. Palmerius.*

Sylvester II. Pp. responsum acceperat, diu victurum, si Hierusalem non attingeret: Verùm dum Pontificatus sui anno quarto, mense uno, die 10. in basilica S. Crucis in Hierusalem Romæ sacrificat, errorem suum agnoscens, ad populum conversus, mortem sibi imminere ait: omnesque ad pœnitentiam exhortans, cadaver suum bigæ imponi præcepit, & illic sepeliri, quò ab equis spontè deductum esset. Equi ad Basilicam Lateranensem substitere. *Platina in ejus vita, & Vincentius lib. 24. cap. 98.*

Ezelinus Romanus, Patavinus tyrannus, à matre Adel-
E heida monitus Cassanum cavere, ignobilis vici nescius, Cassanum castrum in Paduanorum ac Hetruscorum fitum finibus fatale ratus, omni semper studio vitavit. Tandem post septuagesimum ætatis annum, dum summa vi Mediolanum petit, ab omnibus fermè Longobardis circumventus est. Jam pontem fluminis transiverat: illic in extremis sese casibus videns, loci nomen scisciratus, ubi Cassanum audivit, adacto calcaribus equo, in oppositum sese flumen injecit: Heu fatum inevitabile, heu materna præsagia, heu arcanum Cassanum! horrendo murmure vociferans: ac vix terræ redditus, ab hostium exercitu oppressus est. *Petrarcha.*

Machabæus Scotorum rex cùm Magduffum timeret, ab aruspicibus monitus, fatidica mulier prædixit, non illum manu casurum nati ex muliere, nec prius vincendum esse, quàm nemus Birnen ad arcem Deunsinnam, procul inde distantem, translatum esset. Itaque se invictum, & ab insidiis tutum falsò credidit. Nam hostes, uti laterent, ex sylva Birnen singuli ramum secum tulere, atque ita arcem cinxerunt. Occisus denique à Magdusso, qui non natus, sed excisus ex ventre matris fuerat. *H. Boetius.*

Antonius à Leva, Carolum V. Cæsarem ad inferendum Gallo bellum animavit, seque ducem professus, quamvis sæva arthritide conficeretur, quòd à divinaculis accepisset, fibi in Gallia moriendum esse, & ad templum D. Dionysii quiescendum. Id ille de victoria Parisios usque extendenda interpretabatur. At longè aliter accidit: Nam Cæsariano exercitu dysenteria confecto, Leva assiduis confectus vigiliis & doloribus, in Narbonensi Gallia periit, & Mediolanum relatus, ad D. Dionysium tumulatus est. *Sabell. supplem. lib. 20.*

Insidiarum.

Monuerant sortes antiquæ Caligulam Cæsarem, ut à Cassio caveret. Qua de causa ille Cassium Longinum Asiæ tum proconsulem occidendum delegaverat, immemor, Chæream centurionem Cassium nominari. *Svet. in Calig.*

Nero, consulto Delphis Apolline, septuagesimum ac tertium annum cavendum sibi audivit, quasi eo demùm obiturus; ac nihil conjectans de ætate Galbæ, tanta fiducia non modò senectam, sed etiam perpetuam singularemque concepit felicitatem, ut amissis naufragio pretiosissimis rebus, non dubitarit inter suos dicere, pisces eas sibi relaturos. *Svet. in Nerone.*

Mauricius Imperator vaticinio quodam edoctus, percussoris suis nomen à littera Φ orditi, Philippicum sororis suæ maritum falsò suspectum habebat, quum eo Phocas significaretur. *Cedrenus.*

Andronicus Comnenus tyrannus, à littera I, nomen ejus, à quo Imperio exuendus esset, incipere, ex oraculo didicerat. Ergo dum Isaacium Comneni, Isaacii Sebastocratoris Manuelis Imp. fratris ex filia nepotem, qui Cypro occupata regnum affectabat, metuit, ab Isaacio Angelo, quem propter ignaviam minimè suspectum habebat, & vita & imperio privatus est. *Nicetas lib. 1.*

Andronico Juniore Imp. ægrotante, ejus jussu Constantinus Despota è carcere est missus. Verùm paulò post rursus in eadem latebras conjectus, eò quòd fama esset, imperium, seniore Imperatore Andronico defuncto, ei esse destinatum, cujus nomen à C, littera inchoaret. Qua tamen Joannes Cantacuzenus significabatur. *Gregoras lib. 9.*

Heraclius Imp. oraculo monitus est, ut à circumcisis caveret. Omnes ergo Judæos religioni Christianæ nomina dare H
coegit. Impetravit illud idem à Dagoberto Francorum, & Sisebuto Vestgothorum regibus. Verùm cùm in exercitu haberet Saracenos, quorum opera contra Persas usus erat, dum illi stipendio se fraudari conquererentur, quæstores eos tanquam canes maledictis incessabant. Illi ira accensi, Damascum occupatunt, Ægyptum vastarunt, Arabiam subegerunt. Judæos ergo vitavit: sed Saracenos, qui etiam circumcidebantur, vitare non potuit. *Blond. Dec. 1. lib. 9. Regino lib. 1. Otho Phrysingensis l. 5. c. 9.*

Excidii Regnorum, vel Urbis.

Urbem olim in Olympo celebrem Libethra nomine fuisse ajunt, qua mons in Macedoniam se immittit. Ab ea non longè Orphei monimentum abesse. Libethriis olim è Thracia à Liberi patris oraculo responsum allatum, A sue urbem deletum iri, cùm primùm Orphei ossa fol aspexisset: quorum hoc quidem fieri posse, sed alterum impossibile ducentes, securi agebant. Accidit, ut pastor quidam meridiè recumbens sestus ad Orphei tumulum, in somnis cœperit Orphei versus

magna